32. Rex, cujus ira brachio cohibito augebatur, ardore suo, leonem malefi-

cum, vel proxime adstantem, non attingente, intus flagrabat, serpentis instar, cujus vis incantamentis herbisque coercita est.

33. Leo, vaccam captam tenens, regum leonem, Manuis stirpis quasi vexillum, hominum venerandorum amicum, voce humana allocutus est, obstupefaciens eum, qui jam eo, quod ipsi acciderat, stupefactus erat:

34. "Desine contendere, terræ domine; sagitta tua, etiamsi emissa, in "me vana foret: procellæ vis, quamvis arbores evellere valens, montem "superare nequit.

35. "Scito me esse Kumbhodaram, Nikumbhæ similem, dei octiformis "servum, cujus dorsum sacratum est a deo, qui bovem *Kailásæ* instar ful- "vum ascensurus benigne pedibus ei insistit.

36. "Vides in conspectu *devadáruem* arborem; ea filiæ instar adoptata "est a Siva, bovem in vexillo gestante, gustavitque saporem lactis manantis "e Skandæ matris mammis, vasa aurea referentibus.

37. "Hujus arboris cortex olim ab elephanto frontem fricante læsa erat, "atque montis filia eam miserabatur, æque ac exercitus divini ducem, "*Asurorum* telis saucium.

38. "Ab eo inde tempore ego a Tridentifero leonis forma indutus, ad "feros elephantos terrendos, in hac montis caverna constitutus sum, a bestiis "prope accedentibus victum quæsiturus.

39. "Hæc vacca, tempore a Siva definito, ad me fame pressum "satiandum, tanquam amplum jentaculum cruentum advenit, sicut lunæ "nectar ad deorum hostem.

40. "Tu revertere, mitteque pudorem; demonstrasti tuam in magistrum "pietatem. Etenim quando rei armis tegendæ defensio vires excessit, "illius jactura non destruit armigerorum gloriam."

41. Hominum rex, audito diserto ferarum regis sermone, armis suis Sivæ potentia repulsis, missum fecit sui ipsius contemptum.

42. Frustraque laborans in sagittæ emissione, tunc primum cohibita, veluti Indras, fulmen vibrare paratus, Sivæ adspectu coercitus, sic leoni respondit:

43. "Sermo quem ego, in conatu meo cohibitus, sum prolaturus, fera-

" rum domine, ridiculus fortasse videbitur: tu vero intimam quamlibet ani-
" mantium nosti indolem, ideoque loquar.

44. " Venerandus mihi est rerum stabilium mobiliumque creationis,
" perennitatis atque destructionis auctor; attamen hic etiam magistri mei
" thesaurus, in conspectu meo occumbens, haud est negligendus.

45. " Tu, quæso, victus tui necessitati meo corpore satisfacere velis, di-
" mittasque istam magni sapientis vaccam, quam vitulus, die vergente, cum
" desiderio exspectat."

46. Tum vero SIVÆ comes, dentium splendore cavernæ tenebras dividens, subridens regem iterum allocutus est:

47. " Mundi dominatum, in quo præter tuam non alia est umbella regia,
" recentem ætatem, pulchrumque hoc tuum corpus, tam multa pro re
" exigua deserere cupiens, mentis impos mihi videris.

48. " Si misericordia erga animalia tibi est, hæc una vacca morte tua
" servabitur; vivens contra, rex, cives tuos patris instar continuo ab infor-
" tuniis defendere poteris.

49. " Sin vero times magistrum tuum, igni similem, qui, hanc solam
" possidens vaccam, de peccato tuo indignatus foret, ejus ira a te sedari po-
" terit, largiendo ei decies millies mille vaccas distentis uberibus præditas.

50. " Quare serva hoc tuum corpus robustum, quod continua felicitate
" fruetur: amplum enim regnum INDRÆ habitationi comparant, solo terræ
" contactu ab illa diversum."

51. Ita locutus cum leo taceret, sonitu e caverna repercusso, mons etiam, quasi præ amore, terræ domino alta voce eandem resonavit sententiam.

52. Ministri divini sermone audito, rex, majore etiam misericordia motus, quia vacca a leone subacta turbatis oculis eum intuebatur, respondit:

53. " Servat a nece! ita insigne *Kshatri* nomen inter homines notum
" est. Qui huic contrarie agit, quid ei cum regno? quidve cum vita op-
" probrio aspersa?

54. " Quomodo magnus sapiens reconciliari poterit aliarum vaccarum
" donatione? scito hancce SURABHI non esse inferiorem, atque non nisi
" SIVÆ potentia tu eam superasti.

55. "Hanc corpore meo oblato ex unguibus tuis redimere æquum est;
"ita neque tu fraudaberis jentaculo, neque anachoreta sacrificiorum subsidio privatus erit.

56. "Tu quoque, alieno arbitrio subjectus, hoc scis, (magna enim est
"cura tua pro hac *devadárue* arbore) haud quemquam illæsum accedere
"posse ad dominum, perdito eo, quod curæ suæ commissum fuit.

57. "Si vero ego non necandus tibi videar, in gloriam meam etiam
"misericors esto! Mei similes haud sane solliciti sunt de libis istis, quæ,
"ex elementis facta, certæ morti obnoxia sunt.

58. "Amicitiam incipere dicunt a colloquio; contigit hoc nobis obviam
"factis in sylva: quare tu, Sivæ minister, meam, socii tui, benevolentiam
"haud repudiare debes."

59. "Esto!" Ita locuto leoni Dilípas, brachii impedimento cessante, armis depositis, corpus suum obtulit, quasi carnis libum.

60. Eodem temporis momento super civium moderatorem, qui vultu averso dirum leonis impetum exspectabat, decidit florum imber, e manibus *Vidyádharorum* demissus.

61. "Surge mi fili!" Hanc vocem, nectari similem, audiens prolatam, surgensque, vidit rex ante se vaccam lactiferam, genitricem quasi suam, non vero leonem.

62. Attonitum illum allocuta est vacca: "Bone, spectro creato a me
"tentatus es; propter sapientis excellentiam ne Yamas quidem mecum
"pugnare valeret, ne dicam feræ.

63. "Delectatus sum, mi fili, veneratione tua erga magistrum, atque
"misericordia tua in me: beneficium elige! Scito me non lac solum
"præbere, sed, dum alicui faveam, omnimulgam esse."

64. Exinde rex, munificus in egenos, qui manibus suis herois nomen sibi comparaverat, manibus junctis filium petiit e Sudakshina, stirpis propagatorem atque perenni gloria præditum.

65. "Esto!" Ita vacca regi, sobolis cupido, desiderium suum pollicita, sic ei imperavit: "Bibe, mi fili, lac meum mulctum in vas foliaceum."

66. "Quod a vitulo tuo atque e cærimoniis sacris relictum erit, mater,

"eo lacte, sapientis venia impetrata, frui cupio, ac si esset sexta pars terræ "custoditæ."

67. Ita compellata a rege, VASISHTHÆ vacca magis etiam delectata erat, atque illo sequente ex *Himavantis* caverna sine lassitudine rediit ad eremum.

68. Regum princeps ille, cujus facies lunæ serenæ similis erat, vaccæ gratiam, magistro suo indicatam, uxori, quæ jam e lætitiæ signis eam conjecerat, iterum quasi narravit.

69. Tum ille, irreprehenso animo præditus, bonorumque hominum amicus, a VASISHTHA jussus, NANDINIS lac, quod a vitulo atque post sacrificium peractum relictum erat, bibit magna cum siti, ac si fuisset candida ipsius gloria, corpore induta.

70. Postero mane, voto ita exsoluto, VASISHTHAS, prosperum iter iis precatus, conjuges ablegavit ad urbem suam regiam.

71. Rex, postquam salutaverat sacrificium, ignem atque ARUNDHATIM post illius maritum, vaccamque cum vitulo, profectus est, dignitate per felicitatem amplificata.

72. Patiens ille cum uxore legitima viam faciebat curru, sonitu suo auribus blandiente, non interrupto, jucundo, suo quasi desiderio expleto.

73. Cives biberunt eum, cujum corpus emaciatum erat per votum pro filio obtinendo exsolutum, et qui absentia sua desiderium eorum excitaverat, oculis satietatem haud adipiscentibus, recens ortam veluti lunam, herbarum dominam.

74. Ille, INDRÆ felicitate fruens, urbem, vexillis erectis ornatam, ingressus, salutantibus civibus, terræ onus reposuit in brachium suum, serpentium principis instar robustum.

75. Atque tum, veluti cœlum recepit splendorem, ex ATRIS oculo ortum, veluti flumen cœleste SIVÆ semen, ab igne evomitum, ita regina, ad familiam regis propagandam, concepit fœtum, gravibus indiciis regiis præditum.

CAPUT III.

RAGHUS AD IMPERIUM CONSECRATUS.

1. DEINDE SUDAKSHINA fœtum gestavit, per quem mariti desiderium ad finem pervenit, qui amicorum oculis quasi lunæ ortus, atque caussa principalis erat propagationis stirpis IKSHVÁKUIDARUM.

2. Propter corporis maciem non omnia ornamenta gestans, facie *rodhræ* arboris instar pallida, apparuit illa veluti nox, mane appropinquante, pallido lunæ splendore, quando stellæ numerari possunt.

3. Terræ dominus faciem ejus, terra odorifera fragrantem, clam osculans, haud satiabatur, sicut elephantus, qui sub æstatis finem in sylva ampla paludem lambit, nubium guttis irrigatam.

4. " Ut INDRAS cœlum, sic illius filius, cujus currus in plagarum finibus requiescet, terram dominabitur." Ideo illa, posthabitis ceteris gustibus, primo ad appetentiam, hujusmodi spei respondentem, applicuit animum.

5. " Præ pudore non ullum optatum indicat mihi femina *Magadhensis;* " quasnam res desiderat?" Ita *Kosalæ* septentrionalis rex officiosus quavis hora interrogabat uxoris carissimæ amicas.

6. Quodcunque desiderabat illa, cum graviditatis dolores subiisset, id sibi oblatum videbat: non enim ullum illius desiderium, vel in tergemino cœlo, regi, arcu intenso prædito, non impetrandum erat.

7. Ordine graviditatis dolores transgressa illa membris crescentibus splendebat, sicut planta pulchris surculis instructa, postquam vetera folia deciderunt.

8. Diebus prætereuntibus, mammæ ipsius sororiantes nigrescentibus papillis superabant pulchritudinem duorum loti florum pulchrorum, apibus obsessorum.

9. Rex uxorem suam gravidam intuebatur, sicut terram, divitiis repletam, sicut *samim* arborem, in qua ignis latet, sicut *Sarasvatim* fluvium, cujus aqua sub terra fluit.

10. Peregit ille sapiens justo ordine cærimoniam post conceptionem et reliquas, cum magnificentia quæ congrua erat tum amori ejus erga uxorem, tum animi altitudini, atque divitiis quas e regionibus extremis accumulaverat.

11. Quotiescunque rex domum reverteretur, lætus conspexit uxorem, ob uteri, a summorum deorum particulis inhabitati onus cum difficultate e sella surgentem, manus ægre jungentem, oculisque vacillantem.

12. Fœtus sustentatione curata a medicis, infantium curæ peritis atque benevolis, maritus lætus tempore justo conspexit uxorem amatam, jam partum edituram, sicut cœlum nubibus obductum, fruges gignere paratum.

13. Tum regina, Sachi similis, suo tempore filium peperit, cujus bona fortuna portendebatur quinque planetis, in alto cœlo micantibus, neque solem versus euntibus,—sicut potestas regia, quæ triplicem habet originem, prosperitatem gignit æternam.

14. Plagæ cœlestes gaudebant, venti jucundi spirabant, ignis, cum flamma dextrorsum flexa, sponte sacrificium cepit, omnia illo momento felicitatem portendebant: nam talium hominum ortus universo mundo saluti est.

15. Infantis nobilis splendore innato, circum gynæcei lectum diffuso, subito lucernæ nocturnæ, lumine privatæ, quasi pictæ apparebant.

16. Gynæcei famulæ, quæ verbis nectareis nuntium de filio nato attulit, rex tres solum res recusandas esse duxit, umbellam, lunæ instar splendentem, atquè duo flabella.

17. Bibit rex pulchram filii faciem oculis, loti a vento securæ instar immotis, neque magna ejus lætitia sibimet ipsi imperare potuit, veluti maris aquarum moles, luna conspecta.

18. Omnibus cærimoniis natalitiis peractis a familiæ sacerdote, qui a sylva sacra advenerat, Dilípæ filius magis etiam splendebat, sicut gemma, e fodina effossa, magis splendet, postquam polita est.

19. Jucunde sonans instrumentorum solemnium clangor, cum lætis pulchrarum virginum saltationibus, non solum in ædibus reginæ *Magadhensis* mariti, sed in ipsa cœlicolarum habitatione resonabat.

20. Defensor ille neminem vinctum tenebat, quem præ lætitia ob filium natum liberare potuisset; ipse solummodo liberatus est eo vinculo, quod debitum erga Manes appellatur.

21. "Ad finem *Vedarum* usque ibit filius meus, atque in prœlio usque ad "finem hostium!" Ita cogitans rex, significationum gnarus, filium suum RAGHUEM appellavit, radicis *eundi* significationem respiciens.

22. Cepit ille in diem pulchrorum membrorum incrementum, cura patris, omni felicitate præditi; sicut recens luna, solis radiis in ejus orbe progredientibus.

23. Sicut UMA atque SIVAS e KÁRTIKEYA, sicut SACHIS atque INDRAS e JAYANTA, sic rex atque uxor ejus *Magadhensis* ex hoc filio gaudium ceperunt, similes e simili.

24. Ut *rathángarum* avium, sic eorum amor mutuus, animos conjungens, quamquam ab unico eorum filio divisus, tamen mutuo augebatur.

25. Puer, cum vocem a nutrice primo dictam pronuntiaret, ejusdemque manibus sustentatus incederet, atque salutare edoctus corpus inclinaret, patris gaudium auxit.

26. Rex, gremio excipiens eum, qui voluptate, e corporis contactu orta, nectare quasi cutem conspersit, oculos in angulis comprimens, tandem aliquando filium tangendi dulcedinem expertus est.

27. Putavitque ille, fines haud transgrediens, hoc filio nobili stirpem suam stabilitam, sicut BRAHMAN, hominum dominus, creationem suam per VISHNUEM, utpote eam suimet ipsius partem, quæ in prima qualitate versatur.

28. Simulac ille tonsuram subierat, una cum ministrorum filiis amicis, qui jam comam prolixam alebant, per aptam elementorum cognitionem, veluti per fluvii os, exiit in mare verborum.

29. Tum illum, sacro filo rite cinctum, patri carum, præceptores docti instruxerunt; neque opera eorum in hoc puero inanis fuit: nam quævis cura, in rem idoneam collata, prospere cedit.

30. Nobili intellectu præditus, omnium intellectus virtutum ope deinceps trajecit quatuor scientias, quatuor oceanis similes; veluti sol, plagarum dominus, plagas transcurrit equis, ventum velocitate superantibus

31. Sacra capreæ pelle indutus, patris arcu incantato instruebatur; neque solum in orbe terrarum pater ejus unicus erat rex, sed ille etiam unicus arcipotens.

32. Ut vitulus, tauri ætatem attingens, ut elephanti pullus, ad elephanti adulti statum accedens, sic Raghus, ordine e pueritia adolescentiam ingressus, alebat corpus firmitate sua pulchrum.

33. Deinde, statim post solemnem crinium tonsuram, pater ejus matrimonii cærimoniam peregit; atque principum filiæ, illum maritum optimum adeptæ, splendebant sicut Dakshæ filiæ, tenebrarum fugatori nuptæ.

34. Juvenis Raghus, brachiis longis, robustus, pectore januæ simili, et lata cervice præditus, corporis præstantia patrem superabat, sed modestia sua illo inferior videbatur.

35. Atque tum rex, qui gravissimum imperii onus, per longum tempus ab ipso gestatum, sublevare voluit, filiumque et indole et institutione modestum vidit, juvenem imperii socium nominavit.

36. Felicitatis dea, virtutum amans, priorem suam in rege sedem relinquens, partim in eum, quasi in domicilium regis juvenis nomine notatum, ingressa est, velut a loto adulta in lotum nuper ortam.

37. Ut ignis vento, auriga suo, ut sol nubium discessu, elephantusque temporum fissione, sic rex filio suo insuperabilis evasit.

38. Hoc arcitenente, una cum ordinis regii juvenibus, equis sacris custodiendis præfecto, rex, Indræ similis, centum sacrificia, uno deficiente, peregit sine impedimento.

39. Tum vero Indras, corpore occultato, coram custodibus illis arcitenentibus, abripuit equum, sacrificii caussa a sacrifico solute emissum.

40. Juvenum caterva, extemplo præ animi dejectione inops consilii, attonita stetit, cum Nandinis, Vasishthæ vacca, cujus præstantiam audiverant, sponte accedens conspiceretur.

41. Dilípæ filius, honoratus a bonis, postquam oculos suos puro liquore, e membris illius manante, inunxerat, res sensibus occultas etiam videndi copiam accepit.

42. Viditque ille, ab hominum deo oriundus, orientem versus deum mon-

tium latera abscindere solitum, qui equum, habenis ad currum alligatum, abduxit, auriga iterum iterumque festinationem ejus coërcente.

43. Quem cum e centum ejus oculis, haud nictantibus, atque ex equis viridibus INDRAM esse cognovisset, RAGHUS eum allocutus est, quasi reverti cogens eum voce sua sonante, cœlum feriente:

44. "Tu, deorum princeps, ab hominibus gnaris primus semper appel-
"laris eorum, qui sacrificiorum portionibus fruuntur: cur igitur tu patris
"mei, continuis sacrificiis intenti, cærimoniam sacram irritam facere mo-
"liris?

45. "Nonne a te, mundi tergemini domino, oculis cœlestibus prædito,
"sacrificiorum inimici semper cohibendi sunt? Quodsi tu ipse pie agentium
"opera conturbas, lex sacra subversa est.

46. "Quare, INDRA, huncce equum, præcipuam magni sacrificii partem,
"dimittere velis: nam viri eximii, qui aliis viam puram indicant, ipsi
"semitam turpem haud ingrediuntur."

47. Cœlicolarum princeps, cum sermonem audacem, a RAGHUE prolatum, audisset, attonitus currum retro flexit, atque responsum edere aggressus est:

48. "Quæ dixisti, juvenis regie, ea ita sunt: attamen iis, qui gloria
"gaudent, hæc defendenda est ab inimico. Jam vero pater tuus, totam
"meam gloriam, mundos collustrantem, sacrificio superare molitur.

49. "Sicut enim solus VISHNUS tanquam spiritus summus celebratur,
"atque SIVAS trioculus solus magnus dominus appellatur, neque alius
"quisquam; ita me solum centum sacrificiorum perfectorem nominant
"vates, neque in quemquam alium cadunt hæ nostræ appellationes.

50. "Quare hicce patris tui equus abreptus est a me, KAPILAM imitante.
"Mitte laborem, neque pedem pone in SAGARÆ filiorum vestigio!"

51. Tum equi custos impavidus, subridens, INDRAM rursus allocutus est:
"Arripe telum, si hæc tibi stat sententia; non enim, nisi RAGHUE devicto,
"inceptum tuum peregeris!"

52. Ita locutus, INDRAM suspiciens, arcumque sagitta instructurus, adstitit, corporis pulchritudine, hoc statu imprimis conspicua, ipsius SIVÆ æmulus.

53. Raghuis sagitta aurea in corde vulneratus montium percussor, ira incensus, sagittam haud vanam adaptavit arcui suo, qui per temporis momentum tanquam nubium recentium catervæ signum apparuit.

54. Hæc sagitta, penetrans in Dilípæ filii latum pectus, horrendorum *Asurorum* sanguini adsueta, avide quasi bibit sanguinem humanum, antea non gustatum.

55. Juvenis quoque Kártikeyam viribus æquans, in Indræ brachium, cujus digiti elephantum divinum feriendo occalluerant, atque in quo pigmentorum, Sachis frontem ornantium, vestigium relictum erat, sagittam defodit, nomine suo notatam.

56. Alteraque sagitta, pavonum pennis instructa, magnum Indræ vexillum fulmineum discidit; vehementerque ei iratus est ille, ac si immortalium felicitatis deæ comam violenter revulsisset.

57. Inter ambos illos, victoriæ cupidos, prœlium versabatur confusum, sagittis sursum deorsumque volitantibus, serpentum alatorum instar horrendis adspectu, adstantibus diis atque militibus.

58. Perpetuo dimissarum sagittarum imbribus Indras illum, intolerando robore inhabitatum, occidere non potuit, sicut nubes fulmen, quod ex ipsa provenit, aqua sua exstinguere non valet.

59. Tum Raghus sagitta, acie lunata instructa, dissecuit Indræ arcus nervum, qui in ejus brachio, flavo *santali* ligno tincto, oceani agitati instar alte insonuit.

60. Ille, aucto furore, ad necem hostis sui prævalentis, arcu abjecto arripuit telum, tremulo splendoris orbe cinctum, quo montium alas discindere solet.

61. Quo Raghus vehementer in pectore percussus, humi concidit, una cum militum lacrymis, sed post temporis momentum, dolore abjecto, exsurrexit, una cum lætis militum clamoribus.

62. Cum nihilominus ille diu perseverasset in certamine, quod telorum usu acerrimum erat, Vritræ occisor eximio ejus robore gavisus est: virtutes enim ubique pedem ponunt.

63. " Telum meum, quod ob duritiem suam ne a montibus quidem repel-
" litur, a nemine præter te perferri potuit: scito me contentum esse, atque

" præter equum quodvis donum tibi expete!" Ita INDRAS eum allocutus est.

64. Tum regis filius, reponens sagittam, e pharetra nondum prorsus exproptam, inaurati calami radiis digitos ejus collustrantem, dulci sermone deorum dominum allocutus est:

65. " Si equum haud dimittendum putas, domine, pater meus, continuis
" sacrificiis intentus, quoniam sacrum rite peractum est, integræ cærimoniæ
" fructus particeps fiat:

66. " Atque ita tu curare velis, deorum domine, ut hominum moderator,
" ad quem, utpote SIVÆ trioculi partem, quando concionem ingressus est,
" nemo facile aditum obtinuerit, hujus eventus per nuntium tuum certior
" fiat."

67. INDRAS se facturum promisit quod RAGHUS optaverat, abiitque sicut advenerat: SUDAKSHINÆque filius etiam, haud valde animo exsultans, rediit ad curiam regiam.

68. Salutavit eum civium dominus, jam antea per INDRÆ nuntium certior factus, manibus, præ gaudio tremulis, permulcens corpus ejus, fulminis ictibus notatum.

69. Ita terræ dominus, celebrandum imperium tenens, sub vitæ finem in cœlum ascendere cupiens, nonaginta novem sacrificiis magnis peractis, continuam quasi scalam struxit.

70. Deinde vero, mente a sensibus revocata, postquam summum imperium cum umbella alba filio juveni rite tradidisset, una cum uxore sua regia se recepit inter opacas anachoretarum sylvæ arbores: hoc enim, juventute transacta, IKSHVÁKUIDARUM familiæ votum est.

CAPUT IV.

RAGHUS PLAGAS EXPUGNAT.

1. Raghus, regnum a patre adeptus, valde splendebat, sicut ignis, sub diei finem splendorem a sole depositum recipiens.

2. Quem cum reges, post Dilípam, in regno stabilitum esse comperissent, ignis in cordibus eorum, qui antea fumo involutus fuerat, flammis quasi erupit.

3. Cives, prole gaudentes, illum nuper ad dignitatem regiam evectum videntes oculis erectis, gaudebant ac si Indræ vexillum sublatum conspicerent.

4. Paternum regis solium, totumque inimicorum regnum, utrumque simul ab illo, elephanti instar incedente, occupatum est.

5. Lakshmis, quamquam ipsa invisibilis, illum, qui ad imperium consecratus fuit, texit umbella, ex loti foliis facta, quæ sub pulchritudinis ejus splendore latuit.

6. Sarasvatis, sub panegyristarum forma nonnunquam appropinquans, laudandum illum laudibus idoneis extulit.

7. Tellus, quamquam inde a Manue reges honorandi gaudium ex ea perceperant, tamen sub Raghue fuit, ac si nemini antea nupta fuisset.

8. Ille enim, quia juste castigabat, cujusvis hominis animum cepit, veluti Auster, neque nimis frigidus, neque nimis fervidus.

9. Quia virtutibus superior erat, ab illo patris desiderium in civibus diminuebatur, sicut *sahakâræ* fructibus diminuitur florum desiderium.

10. Viri morum periti in hoc novo rege honestum atque turpe illustrabant; prius quidem argumentum in eo erat, non vero alterum.

11. Quinque elementorum etiam qualitates præstantia augebantur; sub novo illo terræ domino omnia nova quasi erant.

12. Sicut luna oblectando, sicut sol ardendo, sic ille rex cives conciliando nominis sui significationem comprobavit.

13. Quamquam oblongi ejus oculi usque ad aures porrigebantur, præcipua tamen videndi facultate præditus erat per libros, qui vel minimas res gerendas indicant.

14. Tum venit ad eum, qui imperio accepto confirmato firmus stetit, alteræ dignitati regiæ similis autumnus, lotis ornatus.

15. Intolerandus Raghuis solisque æstus, cujus via relicta erat a nubibus, pluvia effusa levibus, eodem tempore plagas permeavit.

16. Indras reposuit arcum pluvium, Raghus arcum victorem arripuit: uterque enim, ad hominum res peragendas, vicissim arcus suos intenderunt.

17. Anni tempestas, lotum pro umbella sumens, atque florentia gramina pro flabellis, illum æmulabatur, non vero ejus pulchritudinem attigit.

18. Eo tempore omnium hominum, oculis præditorum, amor æque fervidus erat in illum, cujus vultus benevolentia nitebat, atque in lunam, clare fulgentem.

19. Gloriæ illius evolutiones dispersæ quasi erant per anserum catervas, per stellas, atque per lacus lotis abundantes.

20. Mulieres, fruges custodientes, considentes in sacchariferæ arundinis umbra, canebant servatoris illius laudem, e virtutibus ejus ortam, cujus enarrationem inde ab ejus pueritia incipiebant.

21. Serenum evasit mare post ortum Agastyæ fortissimi, e testa nati: post Raghuis ortum, cladem timens, contremuit hostium animus.

22. Tauri gibberi, furore acti, fluviorum ripas suffodientes, imitabantur robur ejus lepide ludens.

23. Ejus elephanti, odorantes *saptaparnarum* flores, elephantorum liquoris odorem spargentes, quasi invidia moti septemplicem liquorem exsudabant.

24. Autumnus, fluvios pervios faciens, viarumque lutum exsiccans, ad expeditionem eum incitavit, antequam vires ejus paratæ essent.

25. In sacrificio, apud equorum lustrationem instituto, ignis rite accensus flamma sua dextrorsum flexa, quasi manu porrecta obtulit ei victoriam.

26. Urbe atque locis contiguis munitis, omnibus rebus a tergo bene instructis, bona fortuna sequente, RAGHUS cum exercitu senario, plagas vincere cupiens, profectus est.

27. Consperserunt eum civium matronæ farre, veluti oceani lactei undæ BRAHMANEM guttis, *Mandaræ* montis ope suscitatis.

28. Ille, INDRÆ similis, primo orientem versus processit, hostibus minans quasi vexillis vento agitatis.

29. Pulvere curribus excitato, elephantisque nubibus similibus, terræ solo cœlum æquavit, cœloque terræ solum.

30. Splendor in fronte incessit, tum clangor, deinde pulvis, denique currus et reliqua: ex his, quasi quatuor agminibus, exercitus ejus compositus erat.

31. Per potentiam suam deserta sicca aqua redundare fecit, fluvios altos faciles transgressu, saltusque illustres reddidit.

32. Magnum exercitum versus mare orientale ducens, apparebat ille veluti BHAGÍRATHAS, ducens *Gangam*, de SIVÆ vertice delapsam.

33. Via ejus conspicua erat regibus, fructus suos relinquere coactis, evulsis, atque sæpe fractis, ut arboribus elephanti via.

34. Ita omnes regiones orientales superans, victor ille pervenit ad magni oceani litus, palmarum sylvis nigrum.

35. *Suhmi* ab eo, velut a fluminis rapiditate, inflexibiles evellente, vitam servarunt, calamos imitantes.

36. *Bangis*, qui navibus suis confidebant, violenter devictis, dux ille tropæa constituit in *Gangæ* insulis.

37. Illi, ad pedum plantas usque inflexi, oryzæ instar evulsi atque restituti, fructibus eum donarunt.

38. *Kapisa* trajecta a militibus, per elephantos, pontis instar colligatos, *Utkalensibus* viam monstrantibus, *Kalingam* versus profectus est.

39. Æstum suum acerrimum *Mahendræ* montis vertici impressit, sicut rector uncum capiti elephanti contumacis.

40. Armis adortus est eum *Kalingæ* rex, elephantis valens, sicut mons, lapidibus pluens, INDRAM, qui alas ejus findere aggreditur.

41. RAGHUS ibi sagittarum imbrem passus, quasi prospere ablutus, victoriæ fortuna potitus est.

42. Ibi milites, arecæ foliis potandi locum adornantes, biberunt vinum, e *nálikeris* factum, hostiumque gloriam.

43. Rex ille, solius justitiæ caussa vincere cupiens, a *Mahendræ* domino, quem ceperat atque rursus dimiserat, bonam fortunam sumpsit, non vero terram.

44. Tum per litus, frugiferis Arecæ palmis coronatum, profectus est ad plagam, ab AGASTYA occupatam, victoriam non desiderans.

45. Rex militum suorum oblectationibus, quæ elephantorum liquoris odorem spargebant, *Káverim* Oceano suspectam quasi reddidit.

46. Ab illius, victoriæ caussa procedentis, militibus occupata est planities ad pedem *Malayæ* montis, in cujus piperis arboribus columbæ circumvolabant.

47. Fructuum pulvis, evolans e cardamomi arboribus, quos equi commoverant, consedit in elephantorum ebriorum temporibus, simili odore præditis.

48. Quamquam in ipsis serpentum vestigiis, *santali* arbores cingentibus, alligata, haud decidit catena elephantorum, qui vel pedum vincula frangere valuissent.

49. In regione australi vel solis ardor hebetatur; ibi vero *Panduensium* reges RAGHUIS ardorem non tulerunt.

50. Illi procumbentes dederunt RAGHUI, quasi gloriam suam, optimas margaritas collectas ex oceano, ubi *Támraparnis* in eum sese effundit.

51. Postquam ille in litore pro libidine sese delectasset *Malaya* et *Dardura* montibus, *santali* arboribus tectis, quasi plagæ illius mammis:

52. Intoleranda vi præditus trajecit *Sahyam* montem, a quo oceanus longe recessit, quasi terræ clunes, veste decidua nudatas.

53. Per ejus milites, qui in debellationem populorum occidentalium intenti procedebant, oceanus, etsi RÁMÆ armis repulsus, quasi cum *Sahya* cohæsit.

54. In cincinnis feminarum *Keralensium*, quæ præ timore ornamenta abjecerant, pulvis, ab exercitu excitatus, *santali* pulveris vice fungebatur.

55. *Ketakarum* arborum pulvis, a *Muralæ* fluvii ventis excitatus, ejus militibus sine labore loricarum odoramentum evasit.

56. *Arecæ* arborum, vento commotarum, sonus superabatur a loricis in equorum incedentium corpore tinnientibus.

57. Apes, relictis *punnágis* arboribus, considebant in elephantorum, ad *kharjúrium* truncos ligatorum, temporibus, liquore exstillante odoratis.

58. Oceanus RÁMÆ petenti locum præbuerat, RAGHUI vero sub specie regionum occidentalium regis tributum pependit.

59. Ibi *Trikútam* montem, qui manifesta tulit ejus potentiæ signa, ebriorum elephantorum dentibus incisa, altam quasi victoriæ columnam fecit.

60. Tum itinere terrestri ad *Párasíkos* vincendos progressus est, veluti vir castus hostes, quos sensus appellant, veri cognitione vincere studet.

61. Ebrietatem, in feminarum *Yavanensium* vultibus vino excitatam, ille non tulit, sicut intempestiva nubium caterva recentem lotorum splendorem.

62. Erat illi prœlium confusum cum populis occidentalibus, qui equis valebant, in pulvere ubi non nisi arcus cornei sonitu adversarius cognoscebatur.

63. Eorum capitibus barbatis, sagittarum ope abscissis, terram texit, quasi mellis acervis, quibus apes adhærerent.

64. Superstites galeis abjectis veniam ab eo impetrabant: nam magnanimorum ira submissione lenitur.

65. Milites ejus victoriæ defatigationem mitigabant vino in locis vitibus circumdatis, pulcherrimisque pellibus tectis.

66. Tum RAGHUS progressus est versus KUVERÆ plagam, sagittis suis populos septentrionales sublaturus, veluti sol radiis suis aquas.

67. Illius equi, postquam otio in *Sindhuis* ripa itineris lassitudinem levassent, humeros quatiebant, quibus croci florum fila adhærebant.

68. Ibi *Húnarum* mulierum genis pallorem induxerunt RAGHUIS facta, quæ fortitudinem ejus in maritis earum jam antea manifestaverant.

69. *Kámbojenses*, prœlio ejus impetum sustinere non valentes, flexi sunt, æque ac *akshodhæ* arbores, elephantorum funibus cinctæ.

70. Illi ingentes divitiarum acervos cum equis nobilibus abundanter tamquam dona ad *Kosalæ* dominum attulerunt, superbiam suam reprimentes.

71. Tum ille, equis potens, ascendit montem, DURGÆ parentem, excitato metallorum pulvere altiorem quasi reddens ejus apicem.

72. Narravit militibus, leones in cavernis cubantes, pari robore præditos, vel exercitus strepitu audito, sine ullo timore capite retro verso circumspicere.

73. Adflabant eum in itinere venti, in *bhúrjis* arboribus strepentes, in arundine susurrantes atque *Gangæ* guttas apportantes.

74. Requiescebant milites in umbris *nameruum* arborum, considentes in saxis quorum superficies odorata erat moscho hinnuleorum, qui ibi consederant.

75. Herbæ, quæ in elephantorum, ad *saralas* arbores alligatorum vinculis tremulo splendore lucebant, duci illi noctu pro lucernis sine oleo erant.

76. *Devadarues* arbores in stationibus ab illo relictis, cortice funibus fisso, *Kirátis* elephantorum magnitudinem narrabant.

77. Ibi RAGHUI cum catervis montanis prœlium erat acerbum, in quo sagittarum, hastarum, lapidumque concussu ignis eliciebatur.

78. Postquam sagittis suis *Utsavasanketenses* festis desistere coegerat, *Kinnaros* brachiorum suorum victoriæ laudes canere docuit.

79. His populis dona afferentibus, montis medullam cognovit rex, ut mons regis medullam.

80. RAGHUS cum ibi inconcussam gloriæ suæ copiam deposuisset, montis a RÁVANA sublevati pudorem excitans descendit.

81. Illo *Lauhityam* transgresso, *Prágjyotishensium* dominus contremuit, una cum agallochi arboribus, quæ elephantis alligandis postium vice fungebantur.

82. Non tulit rex ille pulverem ab illius curru excitatum, qui solem involvit, atque tempestatem sine pluvia effecit; nedum illius vexillum.

83. *Kámarúpensium* dominus illum, fortitudine sua ipso INDRA superiorem, donavit elephantis, quorum tempora fissa erant, et quorum ope ipse alios reges superaverat.

84. *Kámarúpensium* rex illius pedum umbram, quasi sellulæ aureæ deam tutelarem, gemmis, quasi floribus oblatis, veneratus est.

85. Ita cum victor ille plagas devicisset, rediit, pulverem a curru excitatum in regum diademata, umbellis destituta, cadere sinens.

86. Instituit ille sacrificium *Visvajit* appellatum, in quo omnes suas opes sacerdotibus dispertiit: nam boni, nubium instar, non accipiunt nisi ut largiantur.

87. Sub sacrificii finem RAGHUS cum ministris suis, postquam cladis dolorem magnis honoribus sublevasset, *Kshatriyos,* quorum uxores ob diuturnam separationem desiderio languebant, dimisit ut in urbes suas reverterentur.

88. Illi regis pedes, lineis suis vexillum, fulmen atque umbellam referentes, nec nisi ipsius benevolentia attingendos, cum discessuri sese prosternerent, per mel et pulverem e capitum coronis decidentia in digitis flavos reddiderunt.

CAPUT V.

AJAS AD MARITI ELECTIONEM PROFECTUS.

1. Ad terræ dominum illum, qui in sacrificio *Visvajit* appellato omnes suas divitias distribuerat, advenit Kautsas, Varatantuis discipulus, scientiam adeptus, magistri sui præmium quærens.

2. Ille, qui vasibus aureis destitutus in vase terreno sacrificium deposuerat, inæstimabili indole præditus, hospitalis, gloria illustris, obviam ivit hospiti illi, *Vedarum* cognitione splendenti.

3. Hominum dominus, præcepta noscens, primus eorum qui honore abundant, officiorum gnarus, illum castigationibus divitem rite honoravit, atque sedentem junctis manibus sic allocutus est.

4. " O tu, cujus intellectus *kusæ* instar acutus est! num bene valet magi-" ster tuus, dux vatum consilia dantium, a quo tu scientiam integram " adeptus es, ut mundus animam a sole?

5. " Num castigatio triplex, quam magnus ille vates corpore, voce et " spiritu semper exercet, ipsius Indræ firmitatem concutiens, ullis impedi-" mentis interrumpitur?

6. " Num eremi arboribus, fatigationem mitigantibus, canalium ductione " alioque cultu filiarum instar curari solitis, ulla calamitas a procellis vel " aliud quidquam infortunium accidit?

7. " Num incolumis est cervarum proles, cui in ipso eremitarum gremio " umbilici nervus decidit, quæ ab eremitis non turbabatur, etiamsi in *kusæ* " gramine, cærimoniarum caussa collecto, dulce recubuisset?

8. " Num placidæ sunt aquæ illæ consecratæ, quibus ablutio sacra pera-" gitur, unde patribus libationes suppeditantur, atque quarum ripæ fru-" menti collecti sextante sunt conspicuæ?

9. " Num victus sylvestris, oryza aliaque frumenta, quibus corpora vestra " sustentatis, cujus pars hospitibus justo tempore advenientibus destinata " est, comeditur ab hominibus rure adventantibus, qui non nisi palea vesci " merentur?

10. " An tu a magno illo vate benevolo, postquam prorsus te instruxit, " matrimonii veniam impetrasti? hoc enim tempus est ingrediendi ordinem " secundum, qui pro reliquis omnibus tibi satisfacere potest.

11. " Digno te aggresso animus meus, imperata facere cupiens, non " delectatus est. Tune magistro jubente, an tua sponte, ut me honorares e " sylva advenisti?"

12. Varatantuis discipulus, audito nobili hoc sermone Raghuis, cujus paupertatem jam e vase sacrificali suspicatus erat, de re sua impetranda leviter tantum sperans, sic eum allocutus est:

13. " Omnes nos salvos esse scito; unde, te domino, civibus calamitas " exstiterit? Quomodo, sole lucente, caligo hominum visum obscurare " potuerit?

14. " Est tibi, fauste, reverentia erga honorandos, familiam tuam decens, " qua ipsis majoribus tuis antecellis. Ego vero ne tempore inopportuno " supplex ad te venerim vereor.

15. " Tu, divitiis tuis in loco idoneo depositis, solo corpore exsistens, " appares veluti oryza, cujus fructu a sylvicolis decerpto, culmus tantum " superest.

16. " Apte tu, unicus hominum regnator, inopiam tuam, ex sacrificio " ortam, ostendisti: nam lunæ, sensim sensimque a diis consumptæ, orbis " decrementum magis est honorificum quam ejusdem incrementum.

17. " Interim ego, quoniam nullum mihi aliud negotium est, magistri " mei optatum ab alio quodam impetrare enitar. Bene vale! Nubem " autumnalem, quæ aquæ molem effudit, ne *chátakas* quidem rogat."

18. Magni vatis discipulum, his dictis jam abiturum, rex retinens sic interrogavit: " Quidnam, gnare, quantumve magistro tuo a te dandum " est?"

19. Tum illi, qui rite sacrificium instruxerat, et fastu superbiaque liber erat, tribuum ordinumque domino discipulus gnarus hæc narravit:

20. "Cum integram scientiam adeptus essem, magnus vates a me ut "institutionis pretium peteret rogatus est. Atque ille primo venerationem "meam, quam per longum tempus sine ullo lapsu ei ostenderam, præmii "loco numeravit.

21. "Tum vero magister, precum mearum pertinacia irritatus, neque opum "mearum tenuitatem respiciens: 'Pro scientiæ pretio,' inquit, 'tu quater- "'decies centies centena millia argenti affer.'

22. "Equidem e vase, quo in cærimoniis sacris usus es, nil nisi regis "nomen tibi relictum esse colligens, nunc ob institutionis pretii magnitudi- "nem molestiam tibi afferre non audeo."

23. Unicus mundi dominus, qui sensibus a peccato revocatis vixit, lunam pulchritudine æquans, ita certior factus ab insigni illo *Vedarum* perito, sic respondit:

24. "Absit ut novum hoc mihi nascatur opprobrium, *Vedarum* peritum, "pro magistro suo argentum petentem, desiderio suo haud impetrato, "RAGHUE relicto abiisse ad alium virum munificum.

25. "Tu in optima mea honorataque ignium habitatione quasi ignis "quartus commorans duos tresve dies expectare velis, donec ego rem tuam "peragere conabor."

26. "Faciam!" Ita *Bráhmanus* ille lætus haud vanum ejus sermonem accepit, atque RAGHUS, terram opibus repletam intuens, argentum KUVERÆ eripere optavit.

27. Incantamenta, quibus VASISHTHAS eum ad imperium consecraverat, tantam RAGHUI tribuerant potentiam, ut, veluti INDRÆ nubis volatum, sic illius currus motum neque oceanus, neque aer, neque montes impedirent.

28. Tum RAGHUS pius, intelligens, vesperi, *Kailásæ* dominum, quem vicinum esse recordabatur, vi sua vincere cupiens, dormivit in curru, in quo arma sua deposuerat.

29. Mane illum abire paratum viri ærario præfecti, obstupefacti, auream pluviam in medio ærario de cœlo decidisse certiorem fecerunt.

30. Rex splendentem hunc auri cumulum, a KUVERA appropinquante acceptum, KAUTSÆ dedit integrum, veluti *Sumeruis* collem, fulmine avulsum.

31. Ambo etiam ab *Ayodhyæ* incolis propter indolem suam celebrabantur: petens, quia nihil appetiit ultra id quod magistro suo daturus erat; rex, quia plus dedit quam petens desideraverat.

32. Deinde KAUTSAS, magnus sapiens, lætus, jam rediturus, regem, qui divitias illas centum camelis atque mulis advehi jusserat, capite inclinato adstantem manu tangens, sic allocutus est:

33. "Quid mirum, quod terra omnia desideria explet civium domini, "qui legibus morem gerit? tua vero potestas cogitationem excedit, quippe "ab ipso cœlo optatum tuum impetraveris.

34. "Quodvis aliud beneficium tibi datum supervacuum foret, quia "omnigenæ felicitatis particeps es: quare filium adipiscere, virtutibus suis "tibi similem, sicut pater tuus te celebrandum accepit!"

35. Hoc beneficium cum regi dedisset, vir sanctus rediit ad magistrum suum: atque rex brevi tempore filium ab illo accepit, sicut animantes lucem a sole.

36. Nam uxor ejus regia filium peperit, KÁRTIKEYÆ similem, BRAHMANIS hora; quam ob rem pater filium suum BRAHMANIS nomine AJAM appellavit.

37. Erat ei eadem forma splendens, idem robur, atque eadem majestas innata: puer non diversus erat a patre, sicut lucerna non differt ab altera, qua accensa est.

38. Felicitas, cum adire vellet eum, qui scientias a magistris rite edoctus, atque juventute progerminante imprimis pulcher erat, parentis veniam petiit, sicut virgo prudens patris veniam petere solet.

39. Tunc a BHOJA, *Krathakaisikorum* rege, qui sororis INDUMATIS mariti electionem instituere volebat, atque AJAM juvenem accire optabat, nuntius aptus ad RAGHUEM missus est.

40. RAGHUS, conjunctionem cum rege illo egregiam putans, atque filium suum ea ætate esse videns, qua uxori ducendæ aptus esset, hunc cum exercitu misit ad opulentam *Vidarbhæ* regis urbem.

41. Paratæ erant in itinere filii regii habitationes, omnes res necessarias in tentoriis instructas habentes, et per incolarum munera ab habitationibus sylvestribus diversæ, atque ambulacris in hortis regiis similes.

42. Itinere finito exercitum defessum, cujus vexilla pulvere obducta erant, castra ponere jussit in *Narmadæ* ripa, in qua *naktamâlæ* arbores leniter commovebantur a ventis, per aquæ guttas refrigeratis.

43. Ibi elephantus ferus, temporum fissuris succo abluto puris, e fluvio emersit, descensu ejus in aquam jam antea indicato per apes superne volitantes.

44. Dentibus suis, qui, vel omni æris colore abluto, nigris lineis sursum ductis distincti erant atque saxis perstricti, prodidit, se in *Rikshavantis* ripis lusisse.

45. Proboscide sua, quam facile tum contraxit tum extendit, cum strepitu magnas undas dividens, apparuit ille, ripam petens, ac si clavos, ad quos alligatus esset, rumpere voluisset.

46. Monti similis, retia palmitum plantarum aquaticarum pectore trahens, ipse aliquanto post in ripam exsiluit, ante eum fluvii undæ, quarum moles aquosa ab illo ejaculabatur.

47. Cum hic unus elephantus ferus alios domitos conspiceret, denuo effulsit in temporum rimis pulcher succi imber, qui per aliquod tempus immergendo in aquam ablutus fuerat.

48. Magni exercitus elephanti, cum succum ejus intolerandum, qui odore acri *saptachhadæ* succum referens exstillabat, odorarentur, vehementissimos ducum labores frustrantes terga verterunt.

49. Ille extemplo perturbavit militum castra, relicta a jumentis quæ ruptis vinculis aufugerant, plena curruum fractis rotis eversorum, militumque perturbate mulieres defendere adnitentium.

50. Regis filius, sacri præcepti memor: "Ne elephantus ferus occiditor!" irruentem illum ut repelleret, sagitta in temporibus feriit, arcu non fortiter intenso.

51. Ille vix ictus, elephanti forma relicta, coram militibus attonitis induit pulcherrimum corpus, in aere pendens, tremulo splendoris orbe circumdatum.

52. Tum juvenem floribus, in arbore cœlesti natis, atque sua potestate allatis, conspergens, voce assumpta, fulgentem coronam circum pectus suum dentium splendore augens, sic locutus est:

53. "MATANGÆ exsecratione, propter superbiam meam contra me pro-
" nunciata, elephanti corpore indutus eram; nosce me PRIYAMVADAM,
" filium PRIYADARSANÆ, *Gandharvorum* domini.

54. " Magnus ille sapiens postea, cum supplex eum implorarem, ad cle-
" mentiam rediit: nam aqua non nisi ignis ardore adhibito fervida redditur;
" gelu vero est conditio ejus naturalis.

55. " 'Quando AJAS, in IKSHVÁKUIS familia natus, tempora tua sagitta
" 'percusserit, tum corporis tui splendorem recuperabis!' Ita vir pius me
" allocutus est.

56. " A te valido, cujus adspectum jam dudum desiderabam, hac exsecra-
" tione liberatus sum. Nisi mutuum tibi præstiterim officium, status mei
" recuperatio inanis erit.

57. " Accipe, amice, hunc arcum meum *Gandharvicum*, Stupefacientem
" appellatum, qui alio incantamento tenditur, alio relaxatur; quem qui
" tendit, ei nulla cædes ab hoste est timenda, sed victoriam tenebit in
" manu.

58. " Quod attinet ad me, mitte pudorem, quoniam, etsi me percutiens,
" statim misericordia motus eras; ideoque me obsecrantem nolis repulsæ
" acerbitate affligere."

59. " Esto!" Ita locutus AJAS, luna inter viros, pura *Narmadæ* aqua os eluens, erecto vultu, armorum peritus, ab illo, quem e vinculis liberaverat, arcus incantamentum accepit.

60. Ita cum ambo, fato ordinante, ex caussa improvisa in via amicitiam contraxissent, alter rediit in *Chaitrarathæ* regiones, alter profectus est in *Vidarbhos*, fausto imperio jucundos.

61. Ei, urbis agrum ingredienti, obviam ivit *Krathakaisikorum* rex, cui adventus illius maximum dederat gaudium, sicut oceanus undis tumescentibus obviam venit lunæ.

62. Atque postquam ille præcedens humiliter eum in urbem introduxisset, felicitate præditus sic ei operam dedit, ut populus ibi congressus *Vidarbha* regem advenam putaret, AJAM vero herum.

63. Occupavitque AJAS, RAGHUIS effigies, novas ædes amœnas, a BHOJÆ

præfectis humiliter indicatas, in quarum ara ante portam vasa sacra repleta collocata erant, sicut amor occupat eam ætatem, quæ pueritiam sequitur.

64. Ibi somnus, veluti amata, amantis desiderium cognoscere segnis, non nisi multa nocte appropinquavit oculis Ajæ, obtinere cupientis puellarum margaritam, ad cujus mariti electionem regum cœtus convenerat.

65. Illum, celebrato ingenio præditum, cujus humeros pingues aurium ornamenta attriverant, et cujus membrorum unguentum lecti stragulo detersum erat, mane cantorum filii, ipsi æquales, dulce canentes, voce sua e somno excitabant:

66. "Aufugit nox, cordatorum decus, linque lectum! Nonne bifariam a "creatore divisum est mundi onus? Cujus alteram partem pater tuus gestat "insomnis, alteram portandi officium tuum est.

67. "Luna etiam, qua Lakshmis, obliviscens desiderium tui, somno "oppressi, delectabatur, sicut mulier noctu a marito deserta, in cœli mar- "ginem vergens, amittit nitorem, ei similem, quo vultus tuus splendet.

68. "Quare oculis tuis jucunde apertis duæ statim res similitudinem "nanciscantur, oculus tuus, in quo pupula hilaris movetur, et loti flos, "in quo apis volitat.

69. "Ventus matutinus flaccidos arborum flores de pediculis aufert, "lotisque, per auroræ radios apertis, sese immiscet, ac si alienis virtutibus "sibi propriam reddere vellet odoris suavitatem, tui oris halitui innatam.

70. "Aqua frigida, quæ cecidit in arborum gemmas, intus rubidas, lucida "sicut clarus unio in margaritarum corona, splendet summam præstantiam "nacta, sicut in labiis tuis jocosus risus, dentium nitorem monstrans.

71. "Quoad sol, caloris plenus, non apparet, tenebræ statim aurora di- "spersæ sunt: dum tu, fortissime, in primo pugnantium ordine incedis, num "pater tuus ipse hostes destruit?

72. "Somno ab utroque latere decusso, stratum linquunt elephanti tui, "garrulas catenas trahentes: quorum dentes, calicibus similes, tenero "auroræ splendore collustrati, resplendent velut æris vena in saxo fisso.

73. "Equi illi *Vanáyuenses*, oculis loto similibus prædite, in longis tentoriis "religati, somno relicto, calido halitu maculant salis fossilis frusta, quæ "ante eos suspensa sunt.

74. "Florum fasciculi, tibi oblati, marcescentes relaxantur; perdunt "lucernæ tremulum radiorum orbem; atque psittacus iste tuus, cavea in- "clusus, dulci voce imitatur vocem nostram, tui expergefaciendi caussa "emissam."

75. Juvenis, ita a cantoribus canentibus subito e somno excitatus, lectum reliquit; veluti *Supratîkas,* deorum elephantus, expergefactus a cycnis regiis, læte dulceque canentibus, reliquit *Gangæ* insulam.

76. Atque tum ille, pulchris palpebris præditus, postquam ritus matutinos, libris sacris præscriptos, peragendos curaverat, a servis peritis vestibus idoneis ornatus, intravit cœtum regum, electionis caussa adstantium.

CAPUT VI.

MARITI ELECTIO DESCRIPTA.

1. CONSPEXIT ibi hominum regnatores, pulchris vestibus indutos, in soliis, quæ in pulvinis splendide ornatis collocata erant, sedentes, atque deorum, curribus cœlestibus vectorum, pulchritudinis æmulos.

2. Qui cum conspicerent AJAM, KÁMADEVÆ similem cui SIVAS, RATIS precibus cedens, corpus reddiderat, animus eorum spem INDUMATIS obtinendæ abjecit.

3. Juvenis ille per viam gradibus constructam in pulvinum a BHOJA indicatum ascendit, sicut leonis catulus per saxi scopulos in altum montis cacumen.

4. Postquam consederat in solio gemmis fulgente, atque stragulis eximii coloris tecto, pulchritudine sua potissimum comparandus erat KÁRTIKEYÆ, pavonis dorso insidenti.

5. In illo regum cœtu pulchritudo, eximio suo splendore vix intuenda, lucebat millifariam divisa, veluti fulgur in nubium ordinibus.

6. In medio eorum, qui splendidis vestibus ornati in pulcherrimis sellis sedebant, RAGHUIS filius splendore suo elucebat, sicut *Párijátas* arbor inter reliquas arbores cœlestes.

7. Omnes civium oculi, reliquis regibus neglectis, in illum convertebantur sicut apes, arboribus florentibus relictis, considunt in elephanto fero, cujus tempora liquore stillant.

8. Tum regum cœtu, e lunæ solisque familiis oriundo, a præconibus stemmatum peritis celebrato; fumo, qui ex aloe incensa undique adducebatur, ad vexilla ascendente;

9. Solemni instrumentorum clangore e conchis inflatis undique cœli spatia

personante, atque pavones, qui in sylva prope urbem habitabant, ad vehementissimas saltationes impellente;

10. Virgo conjugem electura, nuptialibus vestibus induta, sedens in curru quattuor rotis instructo, quem comitatu cinctum viri trahebant, ingressa est per viam regiam, quæ inter pulvinos relicta erat.

11. In hac puella, eximia inter res a Brahmane creatas, atque unico centum oculorum scopo, regum animi erant defixi, copora sola in sellis remanebant.

12. In regibus, quorum desiderium in illam conversum erat, variæ actiones, amorem indicantes, atque animi eorum affectionis nuntiæ eximiæ, conspiciebantur, ut in arboribus variæ ramorum pulchritudines.

13. Alius loti lusoriæ caulem manu amplexus, in gyrum eam vertebat, ita ut folia tremula apes advolantes leniter pulsarent, atque pulvis in calice in orbem volveretur.

14. Alius ludendo pulchram faciem oblique vertens, serta, quæ de humeris delapsa in armillæ, gemmis distinctæ, extremitate hærebant, solvens in locum suum reponebat.

15. Alius pulchris oculis leniter retro versis, pede suo, cujus digiti leviter inflexi erant, et qui unguibus huc illuc versis splendebat, scabellum aureum fricabat.

16. Alius brachio sinistro sellæ innitens, atque ideo humerum nimis extollens, dorso curvato serta sua dirumpens, colloquio cum amico intentus erat.

17. Alius juvenis subpallidum *ketakæ* folium, quod ad puellam alliciendam in aure sua suspenderat, discerpebat unguibus, puellarum clunes demulcere adsuetis.

18. Alius manu sua, cujus palma loti instar fulva erat, atque lineis vexillum repræsentantibus notata, ludens tesseras jaciebat, armillarum gemmearum splendore collustratas.

19. Alius alteram manum, inter cujus digitos gemmæ splendebant, admovebat diademati, quasi de loco suo delapso, quamvis bene illud compositum esset.

20. Tum Sunanda janitrix eloquens, regum factis stirpibusque auditis, puellam primo ad *Magadhæ* regem ducens, viri instar sic locuta est:

21. " Hic est rex in *Magadha* sedem habens, defensor eorum qui tutelam " ejus implorant, profundo ingenio, populi sui exhilaratione famam adeptus, " Parantapas appellatus, nomini suo respondens.

22. " Sint sane mille alii reges, hoc uno terra juste regi dicitur: nox, " licet astris, stellis atque planetis abundans, luna sola collustratur.

23. " Hic continuis sacrificiis peractis, perpetuo Indram invocando, per " longum tempus Sachis cincinnos, in pallidas genas dependentes, floribus " cœlestibus nudatos fecit.

24. " Si ab hoc eximio manum tuam accipi vis, *Pátaliputræ* mulierum, " ad palatii fenestras sedentium, oculis, urbem ingrediens, affer oblecta- " tionem."

25. Quæ cum illa dixisset, puella tenera, cujus *madhúkæ* florum corona, *dúrvæ* gramine distincta, paullulum deciderat, recta corporis inclinatione, nec quidquam dicens, illum repudiavit.

26. Tum illa, portæ custodiæ præfecta, filiam regiam ad alium regem adduxit, velut undæ linea, venti flatu orta, cycnum regium in *Mánasa* lacu fert ad aliam lotum.

27. Atque allocuta est illam: " Hic est *Angæ* rex, cujus formosa juventas " ab ipsis cœli puellis expetitur: ille, cujus elephanti domiti sunt per " viros, qui hujus artis præcepta conscripserunt, quamqam in terra vivens, " *Indraico* quasi regno fruitur.

28. " Ille hostium feminas lacrymas effundere cogens, quæ magnitudine " margaritas æquabant, pectora earum circumdedit margaritarum lineis, " quas sine filo iis injecit.

29. " Par illud dearum, Sris atque Sarasvatis, quæ natura sua in " diversis commorantur locis, in illo conjunctim habitant: tu, beata, pul- " chritudine tua ac voce suavi digna es, quæ earum tertia sis."

30. Sed puella, oculum ab *Angæ* rege avertens, matris amicam progredi jussit: non quin rex ille desiderandus fuisset, nec quin ipsa recte cernere valuisset; sed diversæ sunt hominum inclinationes.

31. Deinde portæ præfecta INDUMATI regem monstravit, hostibus intolerandum, imprimis conspicuum, veluti lunam recens ortam.

32. " Hic est *Avantis* dominus, longis brachiis, lato pectore, gracili ac " tereti corpore fulget veluti sol a VISVAKARMANE diligenter cote acutus " redditus.

33. " Pulvis in expeditionibus ejus, integra potestate præditi, ab equis " præcedentibus excitatus, splendorem, e gemmis in regum vicinorum ver- " ticibus promicantem, obscurum reddit.

34. " Hic utique, haud procul habitans a SIVA, lunam in vertice gestante, " in *Maháká́la* commorante, vel in obscuro mensis dimidio cum mulieribus " suis fruitur noctibus luna collustratis.

35. "Tu, cujus femora duobus *rambhæ* truncis similia sunt, animone " tuo desiderium est, cum hoc rege juvene ambulandi in nemoribus con- " tinuis, *Sipræ* undarum ventis commotis?"

36. Ut nelumbium in sole, sic puella tenerrima animum non fixit in illo, qui propinquos lumine suo collustrabat, ut sol nymphæas, et qui hostes vigore suo exsiccabat, ut sol paludes.

37. Deinde ante *Anúpæ* regem illam collocans, SUNANDA rursus allocuta est formosissimam illam Dei creaturam, interioris loti partis colore fulgentem, virtutibus eximiam, pulcherrimis dentibus præditam:

38. " KÁRTAVÍRYAS pius, qui in pugna mille brachiis gaudebat, et in " octodecim insulis tropæa erexit, sine æmulo regis nomine fruebatur.

39. " Arcu armatus in fronte apparens, instructor ille vel in animis homi- " num facta humilia suppressit, simulac sceleris cogitatio oriebatur.

40. " In cujus custodia *Lankæ* rex, cujus brachium arcum tendens im- " motum stetit, qui INDRAM devicerat, ex orum suorum serie ingemiscens, " habitavit, donec ille placatus erat.

41. " In ejus prosapia natus est hicce rex PRATÍPAS, *Vedarum* peritos " colens, per quem probrum illud, quod SRIS ob vitia, cum protectione " quam præbet connexa, incurrit, scilicet esse eam indole mobilem, ex- " stinctum est.

42. "Ei, ignem in prœlio comitem adepto, acuta RÁMÆ securis acies, "*Kshatriyorum* exstinctrix, non acutior visa est quam loti folium.

43. "In ill , longis brachiis præditi, gremio LAKSHMIS evade, si "desiderium tibi est, per palatii fenestras conspiciendi *Revam*, undarum "lineis jucundam, atque *Máhishmatis* vallo q asi cingulo circumdatam."

44. Sed rex ille, jucundissimo adspectu, puellæ non placuit, veluti nymphæis luna, pleno orbe, quando autumnus nubium tegumentum dispulit.

45. Tum feminarum conclavis janitrix, SUSHENAM ostendens, *Súrasenæ* principem, vel in altero mundo laudibus elatum, utramque stirpem suam, moribus puram, illustrantem, sic allocuta est puellam:

46. "Hic rex sacrificus a *Nípa* descendit; illum ingressæ virtutes, "veluti animalia tranquillum Sancti eremum ingressa, innatam mutuam "discordiam exuunt.

47. "In illius ædibus commoratur ipsius suavitas, veluti lunæ pulchri-"tudo oculis blandiens: sed in hostium habitationes, quarum tecta grami-"nibus sunt vestita, irrumpit robur ejus invictum.

48. "Is quando cum mulieribus suis in aqua delectatur, *santali* un-"guento, de pectoribus illarum abluto, *Yamuna* usque ad *Mathuram* urbem "eodem splendet colore, quo ubi ejus aqua *Gangæ* undis sese immiscet.

49. "Gestans ille gemmam, pectus illius splendore obducentem, quam "*Káliyas* serpens, *Yamunam* accolens, GARUDÆ timore perculsus dimi-"serat, ipsum KRISHNAM, *Kaustubha* gemma ornatum, pudore afficit.

50. "Huncce juvenem in mariti locum accipiens, juventutis felicitate "fruere, pulchra, in *Vrindávana*, quæ ne *Chaitrarathæ* quidem cedit, "super florum strato, mollibus frondibus tecto.

51. "Atque sedens in montis planitie, bituminis odorem spargente, "atque aquæ guttis madida, pluviæ tempore specta pavonum in amœnis "*Govardhanæ* cavernis saltationes."

52. Illa umbilico prædita, aquæ vorticis instar pulchro, regem illum præteriit, alius uxor futura, ut fluvius, oceanum versus currens, præterlabitur montem in via obvium.

53. Deinde serva allocuta est puellam, facie sua plenæ lunæ similem,

quæ prope ANGADAM, *Kalingæ* regem, brachia armillis cinctum, hostium partes exstinguentem, substiterat.

54. "Hic est *Mahendræ* montis oceanique dominus, robore *Mahendram* "montem æquans, in cujus expeditionibus præcedit quasi mons ille sub "forma elephantorum bellicorum, liquorem e temporibus stillantium.

55. "Ille sagittariorum optimus, pulchris brachiis præditus, in utroque "brachio gerit lineam, arcus nervi ictibus ductam, quasi duas captivæ "hostium Felicitatis vias, lacrymis collyrio mixtis irrigatas.

56. "Quem in ædibus suis dormientem excitat e somno oceanus vicinus, "gravi sono suo tympanum, quo horæ indicantur, antecellens, undis per "ædium fenestras conspicuis.

57. "Cum illo ambula in oceani litore, palmarum susurro personito, "dum sudor tibi sedabitur ventis, qui ex aliis insulis caryophyllorum flores "advehunt."

58. *Vidarbhæ* regis soror minor, forma sua alliciens, quamquam ita per illam allecta, ab illo discessit, sicut LAKSHMIS, e longinquo per mores hominis adducta, discedit ab eo, cui fatum adversum est.

59. Deinde janitrix, accedens ad urbis a serpentibus appellatæ dominum, forma sua diis similem, BHOJÆ sororem, prius his verbis admonitam: "Huc vultum adverte, perdicis oculis prædita!" sic est allocuta:

60. "Hic *Pánduum* rex, humeros sertis pendulis ornatus, membra *san-* "*talo* flavo unctus, apparet veluti montium princeps, torrentibus stillans, "scopulis sole novo tinctis.

61. "Eum, qui in sacrificio post *Asvamedham* peracto corpus suum "laverat, AGASTYAS, magni *Vindhyæ* montis coercitor, qui oceanum ex- "haustum reliquerat, blande interrogavit, num bene ei verterit balneum.

62. "Insolens ille *Lankæ* rex olim, postquam cum hoc rege, qui telum "ægre obtinendum a SIVA impetraverat, *Janasthâni* devastationem timens, "pacem composuisset, ad INDRÆ cœlum expugnandum profectus est.

63. "Manu tua per hunc, e nobili stirpe ortum, rite accepta, tu, "terræ instar gravis, regionis meridionalis, oceano gemmis repleto cinctæ, "æmula evade.

64. "Continuo delectari velis in *Malayæ* montis campis, ubi *támbúlæ*

" brachiis suis *púgas* arbores amplectuntur, ubi *santali* arbores *elarum* " brachiis cinguntur, et *tamálarum* folia sparsa jacent.

65. " Hujus principis membra loti instar cærulea sunt, atque tenerum " tuum corpus *rochanæ* unguenti instar flavum; quare vobis, sicut " fulguri et nubi, sit conjunctio, ad utriusque pulchritudinem augen- " dam."

66. Sed consilium illius locum non invenit in animo *Vidarbhæ* regis sororis, sicut lunæ radii in nymphæa, quæ non nisi sole conspecto flores aperit.

67. Quemcunque regem puella maritum electura præteriit, sicut noctu trepidans facis flamma, is ædificii in via regia instar in caliginem recessit.

68. Puella adstante, RAGHUIS filius incertus erat: " eligetne me, an " non?" sed dexterum ejus brachium, ea parte qua armilla cinctum est tremens, dubium ejus dispulit.

69. Puella, postquam ad illum in toto corpore labis expertem pervenit, alios reges adire cessavit: etenim apum examen, floridam *sahakáram* aggressum, non amplius aliam arborem desiderat.

70. SUNANDA, INDUMATIM, lunæ instar splendentem, in illo animum fixisse videns, ordinis gnara, abundantem hunc sermonem edere aggressa est:

71. " Fuit ex IKSHVÁKUIS familia oriundus KAKUTSTHAS rex, virtutibus " suis insignis, regum excelsissimus; a quo *Kosalæ* septentrionalis prin- " cipes magnanimi nobile KAKUTSTHIDARUM nomen gerunt.

72. " Ille *Mahendram* montem, magno tauro similem, ascendens, in " prœlio SIVÆ velocitatem adeptus, sagittis suis *Asurorum* uxorum genas " unguento vacuas fecit.

73. " Idem sua armilla INDRÆ armillam, AIRÁVATÆ ictibus flaccidam, " tangens, dimidia parte solii ejusdem dei, vel formam suam principem " ingressi, potitus est.

74. " In ejus stirpe natus fuit DILÍPAS rex, stirpis suæ lux, magna

" gloria præditus, qui sacrificio nonagesimo nono peracto destitit, INDRÆ
" invidiæ leniendæ caussa.

75. " Illo terram moderante, ne ventus quidem turbabat feminarum ebriarum in media horti via somno sopitarum vestes, quis eas abripiendi caussa manum extendere ausus esset?

76. " Ejus filius, RAGHUS, locum patrium tenet, qui magnum sacrificium *Visvajit* peragens opes suas, e quattuor mundi regionibus collectas atque adauctas, usque ad vas terrenum effudit.

77. " Cujus gloria infinita, quæ montes ascendit, ad maris fundum pervenit, serpentum habitationem ingressa est, ipsumque cœlum attigit, quantitate definiri nequit.

78. " Ex illo juvenis iste AJAS natus est, velut e cœli domino JAYANTAS, qui, ut juvencus tauri instar, sic patris instar grave terræ onus portat.

79. " Eligas tu eum, qui stirpe, pulchritudine, recenti ætate, variisque virtutibus, inter quas modestia elucet, tibi congruus est: jungatur gemma cum auro!"

80. Tum SUNANDÆ voce cessante, filia regia, pudorem exuens, adspectu suo amore splendente, quasi corona solemni, juvenem accepit.

81. Præ modestia illa amorem suum in hunc juvenem effari non potuit, sed hic e tenero corpore puellæ cincinnatæ processit quasi sub pilorum horrentium specie.

82. Janitrix, cum amicam in hoc statu videret, subridens sic locuta est: " Veneranda, aliorsum eamus!" Sed puella indignata oculis obliquis eam adspexit.

83. Illa, cujus femora carpis similia erant, per ducis suæ manus sertum pulvere odorato flavum, veluti amorem suum corpore indutum, RAGHUIS filii collo justo loco injici fecit.

84. Hoc serto, felicibus floribus nexo, in latum pectus dependente redimitus, juvenis eximius *Vidarbhæ* regis sororem brachiorum vinculum collo suo injecisse putabat.

85. " Ecce KAUMUDIM cum luna nubibus vacua conjunctam! Ecce

"JAHNUIS filiam immersam in oceanum, ipsi congruum!" Hæc verba, regum auribus acerba, una voce exclamabant cives, lætantes conjunctione amborum, similibus virtutibus præditorum.

86. Erant ibi ab altera parte læti sponsi amici, ab altera tristis regum orbis; sicut primo mane in lacu nelumbia flores expandunt, dum nymphæarum sylva somno est sepulta.

CAPUT VII.

AJAS UXOREM DUCIT.

1. TUM BHOJAS, *Vidarbhæ* rex, sororem suam cum marito idoneo conjunctam, veluti DEVASENAM cum SKANDA, secum ducens, urbem ingredi paratus erat.

2. Reliqui principes etiam, planetarum matutinorum instar paullum splendentes, in exercituum suorum castra abierunt, propter desiderium suum de INDUMATI obtinenda frustratum in vultu et habitu iram exprimentes.

3. SACHIS scilicet propinquitatis potentia nemo ibi erat, qui mariti electionem turbasset; ideo etiam regum cœtus, quamquam KAKUTSTHIDÆ succensens, quietus mansit.

4. Sponsus cum uxore ingressus est viam regiam, undique recentibus donis stratam, portis INDRÆ arcus instar splendentibus ornatam, vexillorumque umbra a solis ardore defensam.

5. Tum urbis feminæ in ædibus, aureis fenestris instructis, illum videre cupientes, aliis operibus neglectis, hæc fere agebant:

6. Alia, subito ejus videndi caussa accurrens, crines, quorum corona vinculo soluto in aere volitabat, manu quidem tamdiu continuit, sed religare non cogitavit.

7. Alia, pedem a famula ornatrice sustentatum, pigmentoque stillantem retrahens, incessu jucundo neglecto, usque ad fenestram semitam duxit lacca distinctam.

8. Alia, dextrum oculum collyrio ornata, sinistro adhuc vacuo, eodem modo ad fenestram accurrit, penicillum manu tenens.

9. Alia, oculos ad fenestram advertens, vestis nodum, currendo solutum, non religavit, sed adstitit vestem cohibens manu, cujus ornamentorum splendor umbilicum collustrabat.

10. Alia cum festinanter exsiliret, cingulum ejus, dimidio gemmis distinctum, atque quoties illa negligenter pedem poneret, ulterius delabens, denique non nisi extremo vinculo in pollicis radice hæsit.

11. Fenestræ earum dulci cupidine motarum faciebus, siceram redolentibus, in quibus oculi apum instar motitabantur, occupatæ, quasi nelumbiis ornatæ erant.

12. Illæ feminæ, Raghuidam oculis haurientes, non ad alias res animum advertebant, sed reliquorum sensuum actio omnino in oculos quasi ingressa erat.

13. " Recte fecit Bhojæ soror, quod, etsi a regibus nondum visis expe-
" tita, conjugis electionem præferebat: quomodo enim aliter amatum ipsi
" similem nacta foret, sicut Lakshmis Vishnuem?

14. " Nisi animantium dominus hoc par, pulchritudine mutuo deside-
" randa præditum, conjunxisset, in his ambobus sane nisus ejus formam
" venustam creandi inanis fuisset.

15. " Hi certe olim erant Ratis et Kámas, quoniam vel inter mille reges
" puella hunc sibi congruum adepta est: animus enim conjunctionis in
" priore vita memor est."

16. Hos sermones auribus blandientes ex ore feminarum urbis audiens, juvenis uxoris suæ fratris ædes, solemni apparatu splendentes, ingressus est.

17. Ibi Bhojæ sacerdos, igni similis, postquam butyrum aliasque res Agni sacrificaverat, hunc matrimonii testem faciens, puellam et sponsum copulavit.

18. Filius regius, puellæ manum sua manu arripiens, magis etiam splendebat, ut *chútas* arbor suo ramo vicinæ *asokæ* fruticis ramum amplectens.

19. Horrebant pili in brachio sponsi, sudabant digiti puellæ; manuum junctione amoris agitatio inter ambos æque quasi erat divisa.

20. Amborum adspectus ultro citroque volantes, prope oculorum angulos directi, sed retracti simulac in hac actione in se invicem inciderent, dulci pudoris freno coercebantur.

21. Splendebant ambo, ignem sursum flagrantem dextrorsum circumambulantes, sicut dies et nox conjunctim in *Meruis* planitiebus versantes.

22. Sponsa, pulchris clunibus prædita, atque perdicis exsultantis oculis, a magistro illo Brahmani simili jussa, pudenter grana in ignem injecit.

23. Prodiitque ex igne fumus purus, butyri, *samis* surculorum et farris odorem spargens, qui, vertice suo in humeris illius recumbens, per aliquot tempus apparebat veluti flos, aures ejus ornans.

24. Fumo sacro in faciem puellæ acto, oculi illius collyrii liquore suffundebantur, semiusta granorum germina annulorum instar in aure ejus considebant, atque genæ ejus fuscabantur.

25. Deinde ambo, puella et juvenis, in sella aurea sedentes, a patribus familias, a rege cognato et a feminis nuptis justo ordine granis humidis conspergebantur.

26. Ita cum rex, Bhojarum familiæ lux, sororis matrimonium perfecisset, felicitate eximia præditus, ministros singulis regibus justos honores tribuere jussit.

27. Illi, iram suam sub gaudii signis occultantes, lacuum tranquillorum instar in quibus crocodili latent, regem salvere jusserunt atque abierunt, sub muneribus oblatis quasi reddentes ei honores acceptos.

28. Reges, postquam pactionem fecerant de conatu suo perficiendo, feminam illam delicatam, tempore opportuno adipiscendam, rapturi, Ajæ viam obsidentes stabant.

29. *Krathakaisikorum* dominus etiam, sororis matrimonio absoluto, opibus facultati suæ congruis in dotem datis, Raghuidam dimisit ipseque secutus est.

30. Trinoctium cum Aja, per tres mundos celebrato, in itinere commoratus, *Kundinæ* urbis dominus ab illo reversus est, veluti luna sub *Parvanis* finem solem relinquit.

31. Jam olim hi reges Raghui, *Kosalæ* principi, ob opes unicuique eorum ereptas succensuerant; ideo nunc congregati filium illius puellam eximiam nactum esse haud æquo animo ferebant.

32. Ei, Bhojæ sororem secum abducenti, superba regum caterva viam

obsedit, ut Indræ inimicus Vishnuis habitationem, quæ splendorem a Bali datum accepit.

33. Juvenis ille, ministro patrio cum multis militibus uxoris custodiam committens, regum cohortem excepit, sicut *Sonas* fluvius tumidis undis fluvium cœlestem, *Bhágírathim.*

34. Pedes peditem adoriebatur, curru vectus currus heroem, equo vectus equo insidentem, elephanti dux elephanto vectum. Singuli similes adversarios eligebant in prœlio.

35. Tubis strepentibus sagittarii, quorum voces distingui non poterant, non stirpium suarum nomina exclamabant, sed litteris in sagittis scriptis nomina sua nobilia mutuo sibi indicabant.

36. Pulvis, in certamine ab equis excitatus, curruum orbibus densatus, elephantorum aurium ictibus dispersus, veli instar solem involvebat.

37. Vexilla pisciformia, oribus venti vehementia apertis, densum pulverem ab agminibus excitatum bibentes, apparebant veluti pisces veri, recentes aquas turbidas bibentes.

38. Cognoscebatur currus rotarum strepitu, elephantus tintinnabuli agitati sono, ipsique milites, ducis sui nomine exclamato, in denso pulvere se invicem distinguebant.

39. In diffusis hisce pulveris tenebris, oculorum viam obstruentibus, cruoris flumen, ex equorum, elephantorum et militum vulneribus manans, soli recens orto similis erat.

40. Pulvis ille, cruore a solo abscissus, superne vento agitatus, apparebat veluti fumus ortus ex igne, cujus carbones ardentes soli remanserunt.

41. Curru vecti, simulac torpor ex ictu ortus cessaverat, aurigas suas in curru stantes increpantes, equis retro actis, eum, a quo percussi fuerant, vexillo recognoscentes, furore adoriebantur.

42. Sagittariorum sollertium sagittæ, quamquam in media via per sagittam inimicam dissectæ, ob ipsarum celeritatis impetum vel anterioribus partibus, cuspide munitis, metam attingebant.

43. Elephantorum congressu ducum capita, quamquam per discos, nova-

culæ instar acutos, abscissa, crinibus per accipitrum ungulas turbatis, non nisi multo post in terram decidebant.

44 Miles de equo pugnans hostem, quem ictu percusserat, cum ille ictum reddere non valeret, non ultro percutiebat, sed illum, cujus corpus in equi cervicem inclinatum pependit, respirare optabat.

45. Elephanti, militum loricatorum, animæ prodigorum, ensibus strictis, in magnos dentes cadentibus, perterriti, ignem elicitum proboscidis humore exstinguebant.

46. Pugnæ locus, capitibus per sagittas abscissis quasi fructibus abundans, lapsis galeis quasi poculis tectus, cruore quasi vino irrigatus, apparebat veluti mortis epulæ.

47. Brachii cujusdam partem, avibus ab utraque fine laceratam, lupus, armillæ cuspide in palato vulneratus, quamquam carnis amantissimus, rejiciens illis reddidit.

48. Miles aliquis, hostis gladio capite truncatus, illico in curru cœlesti sedem occupans, jamque femina cœlesti a latere sinistro sedente, truncum suum adhuc in prœlio saltantem conspexit.

49. Alii duo milites, quorum aurigæ necati erant, eodem tempore aurigæ atque pugnatores evadebant; dein, equis privati, clavis eminus pugnabant, quibus diffractis, brachiis luctari aggrediebantur.

50. Alii duo vulnerati inter se pugnantes, eodem tempore animam exhalabant; sed vel immortales facti, unam eandemque *Apsarasem* petentes, pugnam continuabant.

51. Utrumque agmen variam cladem variamque victoriam mutuo patiebantur, sicut tumidæ duæ magni oceani undæ, duobus ventis a fronte et a tergo mutuo flantibus.

52. AJAS, vel exercitu suo ab hoste profligato, magno robore præditus hostium agmen adortus est: etenim vel fumo per ventum dispulso, ubi fœnum est, ibi ignis.

53. Unus ille vir superbus, curru vectus, pharetra, lorica atque arcu instructus, regum agmen coercebat; sicut magnus aper oceani fluctum sub mundi ætatis finem extumescentem.

54. Conspiciebatur ille in prœlio, pulchram suam dextram pharetræ ori

admovens; pugnatoris arcus nervus, semel ad aurem usque intensus, gignebat quasi sagittas mortiferas.

55. Sparsit ille terram hostium capitibus, quorum labia iræ morsu rubra erant, distinctas rugas sursum contractas ferentibus, sagittarum ictu cervicibus detruncatis, sævumque vultum ostendentibus.

56. Illum adorti sunt cuncti reges accerrimo impetu, cunctis exercitus agminibus, elephantis et reliquis, omnibus telis loricas perrumpentibus.

57. Ille, curru multis hostium telis obruto, solo vexilli cacumine erat cognoscendus, sicut prima dies, nive mersus, sole paullulum orto.

58. Summi regis filius juvenis, pulcher veluti amoris deus floribus armatus, nequaquam quietis cupidus, telum *Gandharvicum*, a Priyamvada acceptum, obstupefaciens, contra reges adhibuit.

59. Illico regum exercitus, somno oppressus, stetit manibus in arcu tendendo impeditis, galearum retibus in humeros delapsis, corpore vexillorum perticis innixo.

60. Deinde juvenis, concham admovens labris suis, quæ amatæ gustum perceperant, inflavit illam, apparuitque unus ille vir ac si gloriam manibus suis collectam, corpore indutam imbiberet.

61. Illius milites, conchæ sono recognito aggressi conspexerunt illum inter hostes devictos, veluti lunam, illi similem, micantem in lotorum sopitarum medio.

62. Scripsitque ille sagittarum cuspidibus, cruore tinctis, in regum vexillis hæcce verba: "Hodie gloria vestra a Raghuida erepta est, propter "misericordiam vero non itidem vita vestra!"

63. Ille uno brachio in arcus extremitatem innitens, crinibus galea detracta dilapsis, fronte sudoris guttis tecta, ad amatam accedens sic locutus est:

64. "Adspice, *Vidarbhensis*, hostes, quorum arma vel ab infante eripi "possent, meam veniam habes; tali pugnæ molimine tu, quæ in meam "potestatem venisti, ab istis expetiris!"

65. Ejus vultus, liberatus ab hostium timore, illico splenduit veluti speculum, quod, postquam halitus vapor evanuit, proprium nitorem recepit.

66. Quamquam gaudio affecta, tamen pudore victa non per suam ipsius, sed per amicarum vocem amatum allocuta est; sicut tellus, recentis pluviæ guttis rigata, nubium turbam alloquitur per pavonum clamorem.

67. Tum ille, pede sinistro regum capitibus imposito, vitiorum expers, uxorem non vituperandam secum abduxit; eratque illa, cujus crines curruum equorumque pulvere fœdati erant, illius quasi Fortuna Victrix, corpore induta.

68. Victorem illum redeuntem, uxorem celebrandam adeptum, salutavit Raghus, qui jam antea rem cognoverat; atque illi stirpem suam committens, ultimæ liberationis viam ingredi cupiebat: etenim viri e Solis stirpe nati, quando generis sui adest sustentator, non amplius cum familia vivunt.

CAPUT VIII.

AJÆ LAMENTATIO.

1. Tunc igitur Raghus princeps filio, qui felicem matrimonii funiculum gestabat, terram quoque, quasi alteram Indumatim, in manus tradidit.

2. Quod alii regum filii facinoribus sibi proprium facere student, id cum illi contingeret, Ajas accepit, quia pater jussit, non fruendi cupiditate.

3. Tellus una cum illo aquis a Vasishtha allatis unctionem passa, pura exhalatione annuntiabat quasi, desideria sua expleta esse.

4. Ille a magistro suo, *Atharvanis* gnaro, consecratus, hostibus suis ægre impugnandus erat: nam pietas cum virtute bellica conjuncta, est sicut ventus ignisque conjuncti.

5. Cives hunc principem Raghuem putabant, juventuti redditum: nam illius non solum felicitatem sed omnes etiam virtutes nactus erat.

6. Duæ potissimum res cum duabus aliis rebus faustis conjunctæ eximie splendebant: prosperum regnum patrium, cum Aja, ejusque recens juventus cum modestia.

7. Longimanus ille temperanter fruebatur terra, modo occupata, velut uxore nuper ducta, ne nimia vehementia anxiam eam redderet.

8. " Equidem a principe dilectus sum!" Ita unusquisque civium cogitabat; neque ille quemquam negligebat, sicut oceanus vel centum fluvios.

9. Ille, neque nimis acerbus, nec mollis, sed mediam viam eligens, ut ventus arbores, sic reges flectebat, non radicitus eos evellens.

10. Sed Raghus filium suum inter cives ob virtutes suas celebratum videns, ab omnibus rebus exitio obnoxiis, vel in cœlo commorantibus, desiderium revocavit.

11. Etenim principes a DILÍPA oriundi, fortuna sua filiis probis tradita, ætate ultima, arborum cortice induti, casti eremitarum vitam ingrediuntur.

12. Qui cum in eo esset, ut in sylvam recederet, filius capite suo, diademate splendente, ad patris pedes se prosternens, ne ipsum relinqueret oravit.

13. RAGHUS, filii amantissimus, satisfecit desiderio illius, lacrymas effundentis; sed ut serpens cutem, sic ille dignitatem relictam non resumpsit.

14. Ultimum ordinem ingressus, in domicilio extra urbem habitans, sensibus domitis, colebatur ille a Felicitate, qua filius fruebatur, velut a nuro.

15. Stirps illa, rege pristino in tranquillitate versante, novoque rege modo orto, similitudinem gerebat cœli, in quo luna occidit et sol ortus est.

16. RAGHUS et RAGHUIDES, eremitæ et principis signa ferentes, adspiciebantur ab hominibus, quasi terram aggressæ partes duæ duarum virtutum, ultimam liberationem et magnum incrementum adeptarum.

17. AJAS, ad regnum invictum ineundum, cum ministris administrationis gnaris se conjunxit; RAGHUS, ad locum sempiternum obtinendum, cum viris sanctis, fiducia dignis, convenit.

18. Princeps juvenis, ut civium saluti consuleret, judicis sellam occupavit; senex, ut in solitudine animum ad contemplationem divinam applicaret, sellam sacro gramine purificatam.

19. Alter regiæ potentiæ vigore reges vicinos in potestatem suam redigebat; alter meditationis exercitatione quinque corporis spirationes.

20. Recens princeps inimicorum in terra conatuum fructus in cineres convertebat; alter in actionibus suis cognitionis flamma comburendis versabatur.

21. AJAS sex illas virtutes exercebat, pacificationem scilicet et reliquas; RAGHUS vero, constanter glebam et aurum æqui pendens, tres qualitates vincebat.

22. Neque novus rex, firmus in actionibus, donec incepti sui fructus prodirent, a conatu desistebat; neque senex, firmo animo, a meditatione exercenda, donec summum numen conspiceret.

23. Ita uterque, alter hostes, alter sensus vigilantes, et utrorumque incrementum reprimentes, prosperitatis et ultimæ liberationis studiosi, sui quisque voti compotes facti sunt.

24. Raghus vero, æquis oculis omnes res adspiciens, postquam aliquot annos, filio obsequens, peregerat, divina sua meditatione attigit spiritum æternum, ultra tenebras commorantem.

25. Raghuides, patrem e vita abiisse certior factus, postquam diu lacrymas effuderat, ignis cultor, una cum mendicis religiosis, sine igne supremas ei solvit cærimonias.

26. Atque sacrorum patribus faciendorum gnarus, exsequias illius instituit, unice patris amore motus: etenim qui hac via e vita egrediuntur, liborum a filiis offerendorum haud cupidi sunt.

27. Ille postquam per viros officiorum peritos patrem, summam viam ingressum, haud lugendum imperasset, dolore lenito, arcu intenso mundum suo unius imperio subjecit.

28. Tellus et Indumatis invida, virum adeptæ, robore virili eximium, illa gemmarum copiam produxit, hæc filium procreavit fortissimum;

29. Qui, solis instar splendens, gloria sua in decem regionibus celebratus, Rámæ pater, viris gnaris sub Dasarathæ nomine innotuit.

30. Ajas vero rex, cum per *vedarum* studium, per sacrificia et prolem vatibus, Diis et Manibus debita solvisset, solis instar, halone vacui, splendebat.

31. Potentia sua utebatur, ad miseros timore liberandos, magna sua scientia, ad sapientes honorandos; non solum opes illius principis, sed etiam virtutes ejus aliorum usui patebant.

32. Is, cives observans, felici prole præditus, olim cum regina ambulavit in sylva, urbi vicina, ut Indras, deorum moderator, cum Sachi in *Nandano* horto.

33. Tum Náradas, ut Sivam, in oceani meridionalis litore *Gokarnæ* commorantem, *vinæ* cantu delectaret, ea via aggressus est, qua sol redit a septentrione.

34. Vehemens ventus, quasi grati odoris cupidine actus, eripuit ei sertum, e floribus non terrestribus nexum, citharæ vertici impositum.

35. Vatisque cithara, apibus flores sequentibus circumvolitata, lacrymas effundere videbatur, venti insolentia elicitas, collyrio mixtas.

36. Sertum illud immortale, mellis odorisque præstantia omnium plantarum splendorem, anni tempore productum, excedens, aptum locum invenit in turgentibus mammis uxoris regiæ amatæ.

37. Viri eximii uxor, cum adspexisset sertum illud, quod non nisi temporis momentum pulchras mammas amplexum erat, exanimis oculos clausit, sicut Kaumudis, quando luna a Ráhue erepta est.

38. Corpore suo sensibus relicto collapsa, maritum etiam concidere fecit: nonne una cum olei gutta delabente lucernæ flamma etiam in terram decidit?

39. Confusa utriusque pedissequorum lamentatione perterritæ, aves, in lotis habitantes, eodem quasi dolore motæ, ibi in questus effundebantur.

40. Regis torpor flabellorum ventilatione aliisque remediis mox sedabatur, illa vero in eodem statu remanebat: nam medicina adhibita, non nisi vitæ pars supersit, valet ad sanationem.

41. Rex amantissimus uxorem amplectens, in gremio consueto posuit eam, quæ anima exhalata similis erat citharæ, quam quis chordis instructurus est.

42. Maritus, in gremio tenens illam exanimem atque coloris expertem, apparebat veluti luna matutina, cum maculis, leporis imaginem referentibus.

43. Lamentabatur ille singultante voce, amittens innatam etiam fortitudinem: ipsum ferrum candens fit molle, quidni animi?

44. "Si flores etiam, corpus tangentes, vitam eripere valent tum, eheu!
"quid est, quo irruens fatum non poterit pro telo uti?

45. "At enim rem mollem molli occidere solet mors; atque hujusmodi
"eventus jam antea exemplum vidi in loto, quæ per nivem liquescentem
"moriebatur.

46. "Sed fortasse ad felicitatem meam destruendam deus novum hocce
"fulmen creavit: a quo non cæsa est arbor, icta vero planta, illius ramos
"claviculis suis amplectens.

47. " Cum per longum tempus nunquam me contempseris, etiamsi te
" offenderam, cur subito insonti mihi haud respondendum putas ?

48. " Certe tu, placide ridens, fallacem me existimas, qui amorem
" simulet: nam, ne valedicens quidem mihi, abiisti in alterum mundum,
" nunquam reditura.

49. " Atque misera mea vita, si antea amatam sequebatur, cur nunc rediit sine illa? Perferat igitur dolorem, sua ipsius culpa nimis acerbum.

50. " Adhuc remanet in vultu tuo sudor, luctatione voluptaria elicitus,
" ipsa vero jam occidisti. Eheu, istam mortalium fragilitatem !

51. " Ne cogitatione quidem antea quidquam tibi feci ingratum ; cur me
" relinquis ? Nonne ego mero nomine terræ maritus sum? in te vero ea est
" voluptas, quæ e natura mea oritur.

52. " Ventus, movens cincinnos tuos, teneris femoribus prædita, floribus
" pertextos, intortos, apum colore splendentes, animo meo reditus spem
" injicit.

53. " Quare, amata, celeriter expergiscens, sollicitudinem meam dis-
" pellere velis, ut herba noctu splendore suo tenebras in *Himálayæ* cavernis.

54. " Excruciat me hoc tuum os, turbatis capillis tectum, nec vocem
" edens ; loti solitariæ instar, noctu dormientis, in qua apis susurrus
" cessavit.

55. " Ad lunam revertitur nox, ad *Chakravákam* avem femella amata ;
" ideo uterque alias separationes ferre valent. Quomodo vero tu, in æter-
" num me relinquens, non me torqueres ?

56. " Tenera tua membra, quæ vel in recentium foliorum strato pro-
" cumbentia læsa forent, eadem, dic, O pulchris femoribus prædita, quo-
" modo rogi ascensionem perferre valebunt ?

57. " Hoc cingulum tuum, imprimis omnium secretorum tuorum par-
" ticeps, quod, incessu tuo jucundo cessante, vocem perdidit, præ mœrore
" te, quæ non experrectura jaces, morte secutum quasi videtur.

58. " Dulcem tuam vocem deposuisti in cuculis, incessum tuum, amore
" languidum, in cycnis, tremulum obtutum in cervis, jocum tuum in
" plantis, a vento leniter commotis.

59. " Hæ virtutes a te, cœlum ingredi cupiente, mei ratione habita, depo-
" sitæ quidem sunt, non vero cor meum, tuo discessu valde contristatum,
" consolari valent.

60. " Nonne tu hanc *sahakâram* atque *priyangam* arbores copulare decre-
" veras? Utriusque copulationis cærimoniis haud peractis, tu abis: hoc non
" bene factum est.

61. " Quem florem hic *asokas* procreabit, cujus tu excitasti desiderium,
" eo, ad cincinnorum tuorum ornamentum destinato, quomodo ego tanquam
" serto in exsequiis tuis uti potero?

62. " Luget te, O pulchris membris prædita, *asokas* iste, flores lacry-
" marum instar effundens, recordans benignum pedis tui, garrulo annulo
" cincti, contactum, ab alio ægre impetratum.

63. " Cur, O *kinnarorum* voce prædita, dormis, priusquam absolvisti pul-
" chrum tuum cingulum, cujus dimidiam partem mecum *vakulis* floribus,
" halitus tui odorem referentibus, ornasti?

64. " Hæc amicarum tuarum turba gaudii tui dolorisque particeps erat,
" hicce filius noster lunæ plenæ similis est; ego quoque ex te sola volu-
" ptatem percipiebam, et tamen tu, dura mente, hocce capis consilium?

65. " Hodie occidit felicitas mea, periit voluptas, cessavit cantus, festis
" vacuum est anni tempus, abiit ornatus caussa, undique derelictus est
" lectus meus.

66. " Conjux, socia, amica, familiaris, amataque discipula in cantu, O
" pulcherrima, dic tandem, quid non ereptum est a morte, quæ, misericordiæ
" oblita, te mihi eripuit?

67. " Micantibus oculis prædita, postquam bibisti vinum illud eximii sa-
" poris, labris meis tibi oblatum, quomodo postea bibes aquæ volam, lacrymis
" mixtam, in altero mundo tibi allatam?

68. " Etiamsi est mihi imperium, sine te AJÆ felicitas finita existimetur:
" mihi, aliis illecebris non abrepto, omnes voluptates in te sola conti-
" nentur."

69. *Kosalæ* rex, his verbis queribundis lamentans de amata, arbores etiam resinæ, quasi lacrymarum imbres effundere fecit.

70. Tum vero ejus comites pulchram illam, ægre a gremio illius remotam, ornamentis funebribus indutam, tradebant igni, agallochi santalique lignis incenso.

71. "Quamquam rex erat, tamen præ mœrore uxorem morte secutus "est!" Hanc reprehensionem extimescens, semetipsum haud in ignem conjecit, non vero vitæ amore motus.

72. Tum gnarus ille, decem diebus præterlapsis, uxoris caussa, cujus jam non nisi virtutes relictæ erant, in sylva, urbi vicina, magno splendore peregit exsequias.

73. Ingressus est urbem sine illa, pallidus, sicut luna, quando nox abit, conspexitque suum dolorem quasi redundantem in lacrymis, urbis mulierum ora humectantibus.

74. Tum magister ejus, ad sacrificia peragenda consecratus, in eremo habitans, meditatione sua illum mœrore depressum cognoscens, per discipulum suum sic eum allocutus est:

75. "Vir sanctus, rigide probitatem colens, quamquam doloris tui caus- "sam haud ignorat, quia cærimonias nondum perfecit, non ipse aggressus "est, ad animum tuum firmum reddendum.

76. "Mihi, O probe, commissus est ejus sermo, paucis verbis mandatum "exprimens; quem audi, potestatis excellentia illustris, atque in corde tuo "eum reponere velis.

77. "Ille enim in spiritus æterni mundis, haud obscurando cognitionis "oculo, trinas conspicit res, quæ fuerunt, quæ sunt, et quæ erunt.

78. "Olim VISHNUS, timens TRINAVINDUEM, duras castigationes sibi "infligentem, HARINIM mulierem divinam misit, quæ meditationem ejus "disturbaret.

79. "Vir sanctus ira sua, devotionem turbante, quæ fluctus instar medi- "tationis litora inundabat, mulieri, quæ coram eo miram ostendebat venu- "statem, imprecatus est: 'Mortalis evade!'

80. "'Venerande, equidem aliorum imperio subjecta sum, ignosce offen- "'sionem meam!' Ita supplicantem illam in terra habitare jussit, donec "flores cœlestes conspiceret.

81. "Illa, in *Krathakaisikorum* stirpe nata, per longum tempus tua erat "uxor, sed sertum illud, imprecationem cessare faciens, e cœlo delapsum "adepta, vitam efflavit.

82. "Quare desine illius discessum cogitare; omnibus natis mors est "certa. Hanc tu respice terram, nam hæc est regum uxor.

83. "Tu, qui per constantiam tuam, in prosperitate superbiæ opprobrium "evitans, sapientiam ostendisti, eandem nunc etiam, animum dolore oppres-"sus, demonstra fortitudine tua.

84. "Quomodo lugendo illam obtineas, quam ne tum quidem, si post illam "morereris, recuperare posses? Nam hominibus, qui in alterum mundum "abierunt, secundum ipsorum facinora diversæ sunt viæ.

85. "Mœrorem pelle ex animo, uxoremque exhilara donis sacrificalibus: "nam perpetuæ propinquorum lacrymæ urunt mortuum; ita traditur.

86. "Mors enim animis est naturalis conditio, vita vero non nisi earum "immutatio dicitur a sapientibus: quare si vel temporis momentum homo "spirans manserit, nonne hoc ei lucrum erit?

87. "Homo imbecilli ingenii mortem amici spinam putat, in corde de-"fixam; sed homo firmi animi eandem extractam putat, quia mors est porta "ad salutem ducens.

88. "Quoniam corpus et anima in *vedis* etiam conjungi et separari di-"cuntur, quomodo, dic quæso, separatio a rebus externis affligere potest "sapientem?

89. "Ne tu, temperatorum optime, hominis stulti instar sub ægritudinis "imperium cadere velis: quid interest inter arbores et montes, si vento "flante utrique moventur?"

90. Rex adnuens magistri sapientissimi sermonem accepit, dimisitque eremitam; sed sermo ille, in corde ejus, dolore presso, locum non inveniens, rediit quasi coram ejus magistro.

91. Ipse, vere jucundeque loquens, propter filii infantiam, octo annos ægre transegit, ubique amatæ suæ similitudines imaginesque conspiciens, et in somniis brevi congressus cum illa gaudio fruens.

92. Mœroris clavus violenter cor ejus divulsit, sicut ficus surculus ædium

pavimentum; atque ipse, quia uxorem sequendi desiderio flagrabat, hanc mortis caussam, a medicis haud sanandam, lucrum existimabat.

93. Postquam filium suum, prorsus modestum, lorica indutum, rite in civium imperio instruxerat, miseram in corpore morbis afflicto habitationem relinquere cupiens, rex inediam subire statuit.

94. Postquam in sacro *Gangæ* et *Sarayuis* confluente, corpore relicto, immortalibus subito adnumeratus esset, congressus cum uxore amata, quæ pulchrior etiam erat, quam in priore statu, iterum delectabatur in ædibus voluptariis, in medio *Nandano*.

CAPUT IX.

VENATIONIS DESCRIPTIO.

1. Patre defuncto *Kosalæ* imperium adeptus Dasarathas, magno curru vectus, qui meditatione sensus devicerat, regnabat, inter omnes modestos et regnantes primum tenens locum.

2. Universus imperii orbis, cum omnibus urbibus, ejus stirpi commissus, quia ille acceptum juste moderabatur, ejus, Kártikeyæ robore præditi, virtutibus addictus erat.

3. Utrumque, et Balæ occisorem, et hunc principem, a Manue rege oriundum, quia opportuno tempore remunerabantur homines officium servantes, viri sapientes lassitudinis abactores appellabant.

4. In terra ejus ne morbus quidem pedem figebat, nedum clades ab hostibus: solum uberrimos fructus præbebat, sub imperio Ajæ filii, tranquillitate gaudentis, atque immortalium instar splendentis.

5. Qua felicitate fruita erat terra per Raghuem, decem plagarum victorem, atque post eum per Ajam, eadem iterum lucebat, principem adepta, haud inferiore robore præditum.

6. Æquitate sua, divitiarum imbres effundendo, improbosque coercendo, rex Yamam, Kuveram atque Varunam æmulabatur, sed splendore suo solem, cum Aruna conjunctum.

7. Neque venationis deliciæ, neque alea, nec vinum, lunæ instar suave, nec puella florentis ætatis, abripiebant illum, qui ad prosperitatem adnitebatur.

8. Neque verbum humile, ne ad Indram principem quidem, nec verbum falsum, ne in fabulis quidem, per jocum narratis, nec verbum asperum, ne ad inimicos quidem, dicebatur ab illo, ira libero.

9. Per illum, RAGHUIDARUM præstantissimum, terræ principes ortum æque atque occasum nanciscebantur: ille enim jussum non transgredientibus amicus, sed corde æneo erat in repugnantes.

10. Arcu intenso armatus, uno curru debellabat ille terram, oceano cinctam, atque exercitus ejus, elephantos et equos celerrimos habens, non nisi victoriam illius renuntiabat.

11. Ipsa maria, nubium instar tonantia, tympana fiebant, promulgantia victoriam illius, KUVERÆ instar fortunati, qui arcum gestans uno curru, scirpea munito, terram subegerat.

12. INDRAS fulmine acuto vincebat montium partes, sibi infestas; ille vero, cujus vultus recenti loto similis erat, arcu sonante, sagittarum imbres emittente, hostium partes.

13. Centeni reges illius, indomita vi præditi, pedes tangebant radiis gemmarum, diademata sua ornantium, illius pedum pulchritudine magis etiam splendentibus, deorum instar, INDRAM adorantium.

14. Venia data hostium uxoribus, comæ ornatu privatis, quarum infantes ab illius comitibus suppliciter manus jungere edocti fuerant, ab oceani litore rediit ad urbem suam, *Alaka* haud inferiorem.

15. Quamquam ipse orbis terrarum centrum occupaverat, neque ullus alius rex alba umbella instructus erat, tamen ille, ignem lunamque splendore æquans, insegnis erat, simulac regis alicujus terram invictam remanere audiret.

16. Ab illo, qui brachiis suis omnium regionum divitias accumulaverat, et in sacrificiis diadema suum deponebat, *Tamasæ* et *Sarayuis* fluminum ripæ, altis aureis postibus sacrificalibus splendentes, tenebris liberæ reddebantur.

17. Erat ille SIVAS, qui, inhabitans corpus, cærimoniis lustratum, capreæ pelle baculoque instructum, *kusa* cinctum, vocem retinens, dorcadis cornu manu tenens, splendore incomparabili illud fulgere faciebat.

18. Balneo sacro purgatus, sensibus restrictis, dignus qui ipsum deorum cœtum ingrederetur, ille pluentem NAMUCHIS hostem caput elatum inclinare fecit.

19. Dea lotum gestans, marito addicta, quemnam alium regem coluit,

præter hunc, in KAKUTSTHÆ familia natum, supplices non negligentem, atque præter spiritum summum, per se ipsum exsistentem?

20. Ille, magno curru vectus, in prœlii acie INDRÆ socius factus, deorum mulieres, quas sagittis suis metu liberaverat, ingens brachiorum suorum robur cantu celebrare fecit.

21. Non semel per hunc INDRÆ socium, uno curru præditum, fortem, arcu instructum, prœlii pulvis, solem versus evolans, *Asurorum* sanguine sedatus est.

22. Illum, qui in hostibus suis sagittas defixerat, *Magadhæ, Kosalæ* et *Kekayæ* regum filiæ, marito fidæ, conjugem acceperunt, velut Oceanum fluvii, e montibus nati.

23. Splendebat ille tribus hisce amatis, ac si INDRAS, in virorum hostes debellantium subsidiis exercitatus, homines gubernaturus, cum tribus viribus in terram descendisset.

24. Tum vero advenit ver cum novis floribus, ac si venerari voluisset unicum hunc regem, honorata vi præditum, qui æque magnum onus sustentabat ac YAMAS, KUVERAS, VARUNAS atque INDRAS.

25. Sol, regionem a KUVERA inhabitatam adire cupiens, equis suis ab auriga retro flexis, frigore coercito dierum initia clara reddens, *Malayam* montem reliquit.

26. Primo florum ortus, deinde surculi recentes, denique apum cuculorumque cantus; hoc ordine apparuit ver, descendens in sylvarum regiones, arboribus densas.

27. Gemmarum copia, in *kinsuka* arbore a veris pulchritudine deposita, apparebat veluti pulchrum ungularum vulnus, amato inflictum a muliere, cujus pudicitiam libido superavit.

28. Sol nondum prorsus dispellere poterat frigus, quod ægre fertur a mulierum labiis, gravia vulnera inferentibus, et quod latera cingulo vacua facit; attamen debilius illud reddidit.

29. *Sahakâræ* frons cum calicibus suis, surculis vento a *Malaya* flante commotis, in gestibus se exercere quasi contendens, vel eorum, qui odium et amorem vicerant, animum fascinabat.

30. Ut petentes adibant regis felicitatem, rectitudinis virtutibus acquisitam, cujus fructus est proborum benevolentia; sic apes atque aves aquaticæ invisebant lacus lotorum copiam, a vere nutritam.

31. Non solum novus *asokæ* flos, anni tempore productus, amorem accendebat, sed recens surculus etiam, quo puellæ aures ornaverant, viros amantes abripiebat.

32. *Kuravakæ* arbores, quibus, quasi recentibus pigmentis, ver sylvæ pulchritudinem ornaverat, apum susurrum excitabant, scite mel iis suppeditans.

33. Flores, liquore e mulierum oribus nutriti, atque eadem ac illa virtute præditi, *vakulam* arborem longis apum, mellis cupidarum, ordinibus occupatam faciebant.

34. Apum examina sequebantur pulverem, in sylva vento perflata e florum filamentis evectum; quasi Amoris arcitenentis vexillum, seu splendentem pulverem in veris Pulchritudinis facie.

35. Mulieres cum viris potabant vinum, ad lusus amatorios incitare valens, suavi odore lotum vincens, amorem comitem habens, neque unquam voluptatem infringi sinens.

36. Splendebant lacus in ædibus, tecti lotis apertis, avibusque aquam diligentibus, atque præ voluptate dulce canentibus; veluti mulieres, oculis suave ridentibus præditæ, cingulisque relaxis atque tinnientibus.

37. Nox, vere decrescens, quia pulchræ vesperæ luna orta pallidæ reddebantur, tenuis evasit, feminæ instar, quæ voluptatis congressus cum marito non particeps facta est.

38. Luna radiis suis, frigore remoto clare splendentibus, languorem post voluptatem perceptam pellentibus, Amorem, florum arcu elatoque piscis vexillo instructum, acutiorem reddebat.

39. Qui flos, ignis sacrificalis instar splendens, imago erat ornamenti aurei sylvæ Pulchritudinis, eum, foliis filamentoque tenerum, puellæ crinibus intextum gerebant.

40. *Tilaka* arbor, apibus, collyrii guttarum instar pulchris, in florum copiam decidentibus notata, ornabat sylvæ regionem, ut macula in fronte ornat mulierem.

41. Animum fascinabat tenera *mallika,* formosa arboris uxor, pulchro suo risu, per flores manifestato, pollinis odorem spargente, in surculis, quasi in labris, conspicuo.

42. Vestibus, Auroræ colorem superantibus, hordei culmis, pone aures locum occupantibus, cuculorumque cantu: hisce Amoris telis viri amantes mulieribus addicti reddebantur.

43. Membris splendido polline adauctis, apum examine occupatus *tilakæ* ramus eandem oculis exhibebat pulchritudinem, ac margaritæ in capillorum reti.

44. In sylvis florentibus, dulcem odorem spargentibus, audiebantur voces tenues, primum a cuculis editæ, veluti raræ voces, a puellis, amore captis, prolatæ.

45. Apparebant sylvæ frutices, cum apum susurro, quasi cantu, auribus blandiente, cum floribus, quasi cum pulchrorum dentium nitore, atque cum ramis, a vento leniter commotis, quasi cum manibus, numerum percutientibus.

46. Oscillatione veris festum celebrans puella, quamquam alacris, tamen, amati collum amplecti cupiens, tarda erat ad sellæ funem tenero brachio arripiendum.

47. "Dimittite iram! Jam satis litium! Ætas idonea, quando semel "abiit, non redit!" Hoc amoris consilio a cuculis quasi nuntiato delectabantur puellæ.

48. Rex vero, postquam una cum mulieribus pro libidine gavisus erat voluptate, quam ver præbebat, venationis amore captus est ille, Vishṅui, Veri et Kámadevæ similis.

49. Præbet venatio exercitationem in meta fugitiva ferienda, tum formidinis, tum furoris ex animalium motibus cognitionem, atque laborem vincendo corpus fortius reddit: ideo ille, ab amicis honoratus, profectus est.

50. Indutus veste, itineri in ferarum sylvam adaptato, arcum circum pectus latum gerens, virorum sol ille pulvere, equorum ungulis excitato, cœlum quasi tegumento involutum reddidit.

51. Comam corona sylvestri religatus, armatus scuto ejusdem ac arborum

folia coloris, aurium annulis equi cursu trementibus, splendebat ille in regionibus a feris frequentatis.

52. Dei sylvestres, corporibus suis in tenuibus fruticibus latentes, oculorum officio apibus tradito, in via conspiciebant eum, pulchris oculis præditum, gubernatione sua *Kosalenses* exhilarantem.

53. Ingressus est sylvam, in quam venatores cum canum agminibus primo intraverant, incendio et latronibus vacuam, solo firmo et equis commodo præditam, fossis instructam, feris, avibus, taurisque repletam.

54. Tum, sicut *Bhádras* mensis arcum divinum, fulminis nervo, auri instar flavo, instructum, sic vir eximius, doloris immunis, arcum intensum arripuit, nervi stridore leonum iram excitans.

55. Obtulit se illi agmen caprearum, *kusam* in oribus tenentium, superbo capreolo duce, quarum femellæ identidem in cursu retardabantur a pullis, ubera petentibus.

56. Agmen illud, petitum a rege, qui equo celerrimo vehebatur, sagitta e pharetræ ore exprompta, ordinibus perruptis, sylvam tremulis oculis fuscam reddebant, aquæ instar, loti foliorum copia, a vento dispersa, tectæ.

57. Ille, Haris majestate præditus, arcum tenens, conspiciens cervi, quem sagitta petiturus erat, feminam, corpore suo intercedentem, animo misericordia commoto, sagittam, vel ad aurem usque adductam, cum amore reposuit.

58. Pugnus ejus, in alios cervos sagittas emittere cupientis, ad aurem adductus, firmiterque compressus, sponte aperiebatur, quia illi oculis suis, præ metu valde trementibus, gratos fervidæ puellæ oculorum motus in memoriam ejus revocabant.

59. Prosecutus est ille effugientium aprorum agminis, e frigido paludis limo prosilientis, viam, abruptorum *mustæ* culmorum partibus sparsam, longisque pedum madentium lineis distinctam.

60. Contra illum, qui corpus superius leniter de equo inclinans sagittam emisit, apri, horrentibus setis tecti, pugnare cupiebant neque semet ipsos sagittis, crura transfodientibus, subito arboribus affixos sentiebant.

61. Emisit ille in tauri feri, eum adoriri cupientis, oculi cavum sagittam,

firmiter attractam, quæ corpus ejus transfodiens, ne plumis quidem sanguine tinctis, illum prius dejecit, deinde ipsa decidit.

62. Identidem rex acutis sagittis rhinocerotum capita, cornu erepto, leviora reddidit: superbas coercere jussus ille odio persequebatur elatum hostium fastigium, non vero longam eorum vitam.

63. Timoris expers tigrides, in conspectu e cavernis procurrentes, florentibus *asanæ* arboris ramis similes, vento fractis, manu sua per exercitationem promptissima uno temporis momento pharetras reddidit, orum cava sagittis implens.

64. Leones, inter densas frutices cubantes, occidere cupiens, nervi sono, venti fragoris instar terribili, eos excitabat: invidebat scilicet illis regiam inter bestias dignitatem, ipsorum robore exaltatam.

65. Quos cum occidisset Kakutsthides, acerrimam contra elephantorum gentem inimicitiam foventes, quorum aduncis ungulis margaritæ adhærebant, iis elephantis, qui in prœlio officia sibi præstiterant, sagittis suis debita se exsolvisse putabat.

66. Alicubi equo contra tauros directo, sagittasque ad aurem usque adductas effundens, illosque regum instar cito dispellens, albis flabellis contentus redditus est.

67. Pavonem, splendente crista ornatum, vel juxta equum evolantem, sagitta non petebat, quia illico recordabatur amatæ comarum, variis sertis distinctarum, atque in lusu amatorio dissolutarum.

68. Illius sudorem, e nimio labore ortum, qui rete vultui agglutinabat, detergebat sylvæ ventus, frigidis guttis mixtus, ramorum gemmas aperiens.

69. Ita venatio, callidæ puellæ instar, captum tenuit regem, qui, aliorum negotiorum oblitus, onus suum ministris imposuerat, et cujus ardor, quia continuo ei indulgebat, adauctus erat.

70. Rex, alicubi a comitibus separatus, noctem, fulgentibus herbis, quasi facibus, illustratam, in pulchrorum florum surculorumque strato transegit.

71. Mane elephantorum aurium ictibus, arguti tympani instar sonan-

tibus, e somno excitatus, delectabatur, audiens ibi dulces avium sonos, quasi panegyristarum cantus.

72. Aliquando vero cervi vestigia secutus, in sylva a comitatu suo non conspectus, equo spuma madente, pervenit ad *Tamasam* fluvium, ab eremitis frequentatum.

73. E cujus aqua provenit suavis distinctusque sonus, vasis impletione ortus: ibi ille elephanti barritum suspicatus, emisit sagittam, cum stridore cadentem.

74. Interdictum id erat principi, quod DASARATHAS peccans fecit: etenim homines cupiditate occœcati, licet sint legum periti, viam illicitam ingrediuntur.

75. "Eheu, pater!" Hunc clamorem audiens, perterritus caussam ejus, in arundine latentem, quærebat: atque conspiciens vatis cujusdam filium, sagitta transfixum, rex etiam, præ dolore, sagitta quasi perforatus erat.

76. Puer, corpore super hydriam inclinato, a rege, e nobili familia orto, qui de equo descenderat, de stirpe sua interrogatus, interruptis verbis se eremitæ, sed non *Bráhmani* filium nuntiavit.

77. Rex, a puero compulsus, ne extracta quidem sagitta, ad cœcos parentes eum adduxit, iisque narravit facinus suum, per errorem commissum in unicum ipsorum filium, quem ita invenisset.

78. Conjuges, multa lamentantes, homicidam illum sagittam e pueri pectore extrahere jusserunt: puer animam exhalavit, senex vero, manus lacrymis humectans, regi imprecatus est:

79. "Tu quoque in extrêma ætate filii mœrore e vita excedes!" Ita locuto illi, veluti serpenti, qui pede calcatus venenum emittit, *Kosalæ* rex, qui prius illum læserat, sic respondit:

80. "Benigne has diras mihi imprecaris, quoniam non conspexi filii os, "læti instar splendens: ignis, ligno accensus, urens etiam, tellurem arandam seminis surculorum genitricem reddit.

81. "Hæc cum acciderint, quidnam faciam tibi ego, misericordia "destitutus, qui mortem a te merui?" Ita interrogatus a rege, ere-

mita, una cum uxore filium mortuum sequi cupiens, ligna accensa petiit.

82. Rex, comitibus suis repertis, precibus illius statim satisfecit, rediitque, lætitia per hoc peccatum privatus: tulitque hanc imprecationem, ipsius mortis caussam, quæ in intimo ejus animo locum invenerat, velut Oceanus ignem marinum fovet in undis.

CAPUT X.

RÁMÆ DESCENSUS.

1. ILLI, INDRÆ instar splendenti, magna prosperitate prædito, terram moderanti, decem millia fere annorum præteribant.

2. Nec potitus est lumine illo, filio appellato, a debito erga majores liberante, atque illico mœroris tenebras dispellente.

3. Progenie ejus caussam aliquam exspectante, rex diu manebat velut oceanus, antequam agitaretur, gemmarum procreatione nondum manifestata.

4. RISHYASRINGAS aliique sacerdotes pii, sensuum domitores, progeniem illius exoptantes, instituebant sacrificium pro filio obtinendo.

5. Eodem tempore dei, vexati a RÁVANA, adibant VISHNUEM, sicut viatores, æstu afflicti, arborem opacam.

6. Simulac illi ad oceanum pervenissent, expergefactus est deorum princeps: nam cunctationis absentia indicio est, negotium bene cessurum esse.

7. Cœlicolæ conspexerunt illum, recubantem in serpentis corpore, tanquam cubili, membris collustratis a gemmis, quæ in serpentis capitum orbibus splendebant.

8. Deus pedes suos deposuerat in gremium LAKSHMIS, loto insidentis, quæ cingulum suum panno serico texerat, atque manus suas surculorum instar substraverat.

9. Ille, oculis apertæ loto similibus, veste recentis solis colore tincta indutus erat, diei autumnali similis, cujus initium gratum est adspectui.

10. Gestabat ille in lato pectore *Kaustubham* gemmam, aquarum medul-

lam, splendore suo signum in illius pectore collustrantem, LAKSHMIS speculum lusorium.

11. Brachiis suis, ramis similibus, divinisque ornamentis distinctis, apparebat ille in aquarum medio, velut alter *Párijátas*.

12. Victoriæ clamores edebantur a telis animatis, quæ gaudii colorem de genis *Daityorum* mulierum evanescere fecerant.

13. Adstitit ei, junctis unguibus, modestus GARUDAS, fulminis ictibus notatus, odio in SESHAM relicto.

14. Oculis suis purgantibus, devotionis somno finito lucentibus, BHRIGUI reliquisque vatibus, num bene dormisset interrogantibus, benigne arrisit.

15. Tum dei, inclinato corpore salutantes *Asurorum* victorem, celebrabant celebrandum illum, neque verbis nec mente comprehendendum.

16. "Salve, universi creator primo, deinde universi conservator, denique "universi deletor, ita trifariam divisus.

17. "Veluti aqua cœlestis, quæ unum tantum gustum habet, hic vel "illic alias gustus assumit, sic tu, ipse immutabilis, in diversis qualitatibus "diversos status assumis.

18. "Tu es immensus, mundum metiens; cupidinis expers, cupidinem "impertiens; invictus, victor; prorsus indistinctus, rerum distinctarum "auctor.

19. "Ipse uniformis, ob caussam aliquam hunc vel illum statum induis; "varietas tua eadem esse memoratur, ac crystalli varietas, colore adjecto "orta.

20. "Sciunt te homines in corde commorantem, nec tamen propinquum; "desiderii expertem, et tamen castigationes subeuntem; misericordem, "nulla miseria tactum; antiquum, haud senescentem.

21. "Omniscius es, non cognitus; omnium rerum auctor, per te ipsum "exsistens; omnium moderator, nulli domino subjectus; tu es unus, "omnes species induens.

22. "Pronuntiant te septem hymnis laudatum, in septem marium undis "dormientem, cujus os est ignis, septem flammis splendens, septem mundorum unicum refugium.

23. " Cognitio, quæ quattuor illas res desideratas tanquam præmium " accipit, temporis conditio, quattuor æva complectens, genus humanum e " quattuor tribubus consistens: omnia prodeunt e te, quattuor oribu " prædito.

24. " Homines devoti, mente exercitationibus cohibita, te, in corde com- " morantem, lucidum investigant, liberationis æternæ caussa.

25. " Quisnam cognovit naturam tuam, non nati, natales amplectentis, " desiderio vacui, inimicos occidentis, dormientis, vigilantis?

26. " Sono aliisque rebus sensualibus frui, acerrimasque castigationes " subire vales; homines regere, et tamen extranei instar vivere.

27. " Viæ ad consummationem ducentes, quamquam in libris multifa- " riam divisæ, in te unum concurrunt, veluti *Gangæ* fluctus in oceanum.

28. " Iis, qui in te animum dirigunt, tibi opera sua committunt, cupidi- " nisque expertes sunt, tu es via, eo ducens, unde nullus reditus datur.

29. " Magnitudo tua, terra aliisque rebus manifestata, quamquam oculis " exposita, tamen definiri nequit: quidnam dicendum de te, ex solis libro- " rum sacrorum conclusionibus colligendo?

30. " Eo, quod sola tui recordatio hominem purum reddit, jam indica- " tum est, quanti fructus futuri sint iis, qui alio modo in te versantur.

31. " Quanto margaritæ præstant oceano, quanto splendor antecellit soli, " tanto facta tua laudibus sunt altiora.

32. " Non datur quidquam, quod non adeptus sis, et cujus compos fieri " cupias: nil enim, nisi mundi amor natalium actionumque tuarum caussa " est.

33. " Quod vox, magnitudinem tuam laudans, loquendi finem facit, hoc " fit propter fatigationem, non ac si virtutes tuæ tantulæ sint."

34. Ita dei propitium sibi reddere studebant illum, sensibus superiorem: illa enim verarum altissimi dei virtutum enumeratio erat, non vero laudatio.

35. Ei, qui interrogatione de illorum salute favorem suum indicaverat, dei narrabant periculum, ipsis imminens a *Rakshaso*, velut ab oceano, præter diluvium litora superante.

36. Tum respondit Vishnus, maris fremitum obtundens voce sua, e montium, litori adjacentium, cavernis resonante.

37. Vox illa, ab antiqui vatis illius loquendi organis elata, omni perfectione prædita, erat ac si exitum jam habuisset.

38. Splendebat illa, e domini ore progressa, cum dentium nitore, veluti *Ganga*, in alto cœlo fluens, postquam integra ex illius pede profluxit.

39. " Scio dignitatem vestram atque potentiam a *Rákshaso* illo oppressas " esse, veluti qualitatem primam et secundam a tenebris.

40. " Novi quoque, tergeminum mundum ab illo vexari, ut probi cor a " peccato, imprudenter commisso.

41. " Neque ego in hisce negotiis implorandus sum ab INDRA, quoniam " utrique nostrum idem negotium est : etenim sua sponte ventus tanquam " ignis auriga adest.

42. " Decimum *Rákshasi* illius caput ab ipsius gladio integrum relictum " est, ut per discum meum sortis suæ particeps fiat.

43. " Propter gratiam vero, a creatore illi impertitam, a me tolerata est " magna scelerati inimici insolentia, ut serpentis a *santali* arbore.

44. " Etenim *Rákshasus* ille a creatore, illius castigationibus contento, " precibus obtinuit, ne ab ullo deo occidi posset, sed hominum respectum " habere neglexit.

45. " Quare ego, DASARATHÆ filius factus, sagittis acutis illius capitum, " quasi lotorum acervum, prœlii campo pro munere offeram.

46. " Mox vos portiones, a sacrificis rite oblatas, rursus accipietis in" tactas a noctivagis istis dolosis.

47. " Animæ piæ, in curribus cœlestibus evehentes in deorum via, nubi" bus sese obtegere cupientes, jam terrorem abjiciant, quo, istius curru " conspecto, perturbari solebant.

48. " Solutas volitare sinetis captivarum cœli feminarum comas, non " amplius pollutas violentibus arreptionibus RÁVANÆ, imprecatione coer" citi."

49. KRISHNÆ nubes, postquam hoc vocis nectare deorum fruges, RÁVANÆ ariditate siccatas, rigasset, evanuit.

50. INDRAS et reliqui dei VISHNUEM, qui negotium eorum perfecturus erat, per partes sequebantur, velut arbores ventum prosequuntur per flores.

51. Tum vero sub finem sacrificii, quod hominum moderator ad optatum suum impetrandum instituerat, species processit ex igne, sacerdotibus terrorem injiciens.

52. Manibus suis in vase aureo potum tenebat lacteum, quem ipse etiam vix portare poterat, quia deus princeps in illum ingressus erat.

53. Accepit rex potum illum, a deo supremo sibi oblatum, sicut INDRAS aquarum medullam, ab oceano productam.

54. Quantæ fuerint regis virtutes, in aliis viris haud reperiendæ, id eo indicatur, quod ipse trimundii auctor ex eo nasci cupiebat.

55. Distribuit ille VISHNUIS semen, sub potus specie latens, inter duas uxorum suarum, veluti sol recentem suum ardorem inter cœlum et terram.

56. Dilecta ei erat KAUSALYA, amata quoque uxor e KEKAYÆ familia orta: ideo rex SUMITRAM ab utraque honoratam videre optabat.

57. Utraque uxor, cognoscentes optatum mariti sui, regis prudentis, illi dimidiarum suarum potus partium dimidium dederunt.

58. Illa etiam utriusque conjugis sociæ amans erat, sicut apis duarum liquoris linearum, ex elephanti temporibus manantium.

59. Ab illis ad civium salutem gestabantur fœtus, e dei particulis orti, sicut fœtus aquosus gestatur a solis fistulis, quos radios appellant.

60. Simul gravidæ factæ fulgebant splendore subpallido, sicut frugum culmi, in quibus fructus origines latent.

61. Unaquæque in somno sese custoditam videbat a nanis, concham, ensem, clavam, arcum, discumque ferentibus.

62. Vehebanturque a GARUDA, aureis suis alis splendorisc opiam per aera diffundente, et celeritate sua nubes secum trahente.

63. Ministrabat iis LAKSHMIS, gerens *Kaustubham* gemmam, ipsi concreditam, in medio pectore pendentem, manibusque tenens lotorum flabellum.

64. Adstabantque iis septem vates divini, in *Ganga* cœlesti abluti, summi numinis nomen mussantes.

65. Rex, cum talia somnia ab iis audisset, lætus se ipsum gravitate præstantiorem habebat ipso mundi parente.

66. Habitabat in illarum uteris deus unicus, multifariam divisus, veluti luna in aqua limpida.

67. Tum vero, partus tempore, princeps regis uxor pudica filium enixa est, tenebras dispellentem, sicut herba noctu splendoris particeps fit.

68. Pulchro ejus corpore motus, pater dedit ei RÁMÆ nomen, mundo eximiam felicitatem portendens.

69. Ab eo, RAGHUIDARUM familiam illustrante, eximio splendore prædito, lucernæ in gynæceo quasi repellebantur.

70. Mater, extenuato corpore, cum RÁMA in conclavi apparebat veluti *Ganga*, autumno languida, cum lotorum, in syrtibus remanentium, munere.

71. A KAIKEYI filius natus est, BHARATAS appellatus, bonæ indolis, qui matrem suam ornabat, ut modestia prosperitatem.

72. SUMITRA geminos filios peperit, LAKSHMANAM et SATRUGHNAM, sicut scientia, bene culta, prudentiam et modestiam.

73. Evanescebant universi mundi vitia, apparebant ejusdem virtutes: nam cœlum sequebatur quasi deum supremum, qui in terram descenderat.

74. Hocce quadriformi nato, omnes regiones, quarum reges RÁVANAM timebant, respirabant quasi per ventos, pulvere liberos.

75. Ignis, nullo fumo obscuratus, et sol, puro suo fulgore, antea a *Rákshaso* illo vexati, nunc quasi dolore liberati erant.

76. Hoc momento *Rákshasorum* Felicitas lacrymas quasi effudit, sub specie gemmarum, e RÁVANÆ crista in terram decidentium.

77. Instrumentorum, a rege, filios adepto, post filiorum ortum pulsandorum, initium faciebant deorum tympana in cœlo.

78. Florumque pluvia ex arbore cœlesti in ejus ædes decidens, prima quasi perfunctio erat cærimoniarum, apud eventum faustum perficiendarum.

79. Pueri illi, omnibus ritibus ornati, nutricum lac bibentes, crescebant una cum patris gaudio, quasi cum ipsorum fratre natu maximo.

80. Innata illorum modestia institutione augebatur, ut proprius flammæ splendor butyro sacro.

81. Illi, non sibi invicem oppositi, puram illam Raghuis stirpem abunde collustrabant, sicut anni tempora deorum sylvam.

82. Quamquam idem amor fraternus inter omnes regnabat, tamen Rámas cum Lakshmana, æque ac Bharatas cum Satrughna mutuo amore par faciebant.

83. Eorum binorum unanimitas nunquam dividebatur, æque ac venti et ignis, seu lunæ et oceani.

84. Illi civium domini dignitate sua ac modestia civium animos capiebant, sicut sub æstus finem dies nubibus obducti.

85. Soboles illa regis, quadrifariam divisa, splendebat, ac si Honestum, Utile, Dulce, atque Liberatio æterna corpore induta in terram descendissent.

86. Illi, patris amantes, virtutibus suis patrem exhilarabant, æque ac magni oceani margaritis suis hunc quattuor plagarum dominum.

87. Veluti deorum elephantus dentibus suis, *Daityorum* ensium aciem frangentibus; veluti probitas suis agendi rationibus, quarum adhibitio propositi adeptione indicatur; veluti Haris brachiis suis, *yugum* longis: sic hujus partibus illis quattuor splendebat regum princeps.

CAPUT XI.

BHRIGUIDES DEVICTUS.

1. Tum Visvámitras adiit Dasaratham regem, atque ad sacrificiorum impedimenta removenda petiit ab illo Rámam, qui adhuc cincinnos in temporibus pascebat: nam in viris splendentibus non ætatis ratio habetur.

2. Rex, sapientes colens, Rámam, etsi morbo afflictum, una cum Lakshmana vati tradidit: nam in Raghuis familia nullæ preces, ne vitam petentium quidem, repudiantur.

3. Dum rex urbis vias adornare jubet, ad utriusque filii iter, hoc celeriter effectum est a nubibus, florum pluviam effundentibus, ventis comitantibus.

4. Juvenes, mandatum perficere parati, arcubus instructi, ad patris pedes procidebant, regisque lacrymæ decidebant super illos inclinatos, iter ingressuros.

5. Vates Rámam cum solo Lakshmana abducere optabat; ideo rex benedictionem ei dedit, non vero exercitum: illa enim utrumque filium tueri valebat.

6. Ambo illi, comas lacrymis, e patris oculis profluentibus, leniter rigati, arcus tenentes, vatem sequebantur, civium oculis solemnes in via arcus quasi formantibus.

7. Matrum suarum pedes amplexi ambo, vatis augusti viam secuti, apparebant veluti *Madhus* et *Mádhavas* menses, solis itinere coacti appropinquantes.

8. Juvenum, brachiis undarum instar agitatis præditorum, incessus, etiamsi ob teneram utriusque ætatem vacillans, apparebat veluti nubibus advenientibus duorum fluviorum actiones, nominibus eorum respondentes.

9. Uterque, gemmarum pavimento adsueti, duorum incantamentorum,

Bala et *Atibala* appellatorum, quæ vates eos docuerat, potestate in itinere non fatigabantur, ac si a matris latere incederent.

10. Per amici patrii, temporum antiquorum gnari, rerum olim gestarum narrationes, quasi curru vectus, RAGHUIDES currui adsuetus, cum fratri minore iter pedestre non sentiebat.

11. Lacus suppeditabant illis aquam dulcem, aves cantum aures delectantem, venti odoriferum florum pulverem, nubesque umbram suam.

12. Eremitæ non ex aquis lotis splendentibus, neque ex arboribus lassitudinem levantibus, tantam capiebant delectationem, quantam e dulci utriusque juvenis adspectu.

13. DASARATHIDES, castigationum sylvam ingressus, arcu instructus, corpore suo pulchro, non vero factis, effigies erat KÁMADEVÆ, cujus corpus a SIVA combustum erat.

14. Uterque juvenis in via, vastata a SUKETUIS filia, cujus imprecationem a VISVÁMITRA audiebant, facili opera intendebant arcus, extremis eorum partibus in solum innixis.

15. TÁDAKA vero, nervorum sono audito, apparuit, obscuræ noctis colore prædita, pendula crania in auribus gestans, atris nubibus similis, in quibus grues volitant.

16. Vehementi sua celeritate arbores in via concutiens, hominum mortuorum pannis induta, horribiles clamores edens, adorta est BHARATÆ fratem majorem, turbinis instar e cœmeterio orti.

17. RAGHUIDES cum conspiceret illam, altero brachio macro erecto irruentem, hominum intestinis in crura dependentibus cinctam, feminam occidendi verecundiam una cum sagitta emisit.

18. Vulnus, quod RÁMÆ sagitta inflixit TÁDAKÆ pectori, saxi instar duro, morti, nondum in hunc locum aggressæ, aditum ad *Rákshasos* aperuit.

19. Illa, corde sagitta fisso, procidens, non tantum sylvæ suæ solum, sed etiam RÁVANÆ felicitatem, trimundii victoria stabilitam, tremere fecit.

20. Noctivaga illa, RÁMÆ, tanquam KÁMADEVÆ sagitta gravi in corde

percussa, fœtido cruore, quasi *santalo* uncta, YAMÆ habitationem ingressa est.

21. Tum TÁDAKÆ occisor accepit a vate, qui hoc facto lætabatur, telum dæmones occidens, incantamento præditum, veluti gemma, soli grata, accipit a sole splendorem, lignum incendentem.

22. Deinde, ingressus in purum Nani eremum, a vate sibi indicatum, RAGHUIDES, etsi oblitus rerum in priore vita gestarum, desiderio commovebatur.

23. Deinde vates intravit in sylvam, ipsius castigationibus sacratam, in qua discipuli honores paraverant, cujus arbores ramorum folia manuum instar jungebant, et cujus feræ vultibus erectis eum intuebantur.

24. Ibi uterque DASARATHÆ filius vatem, sacris initiatum, sagittis suis contra impedimenta protegebant, ut luna et sol, vicissim orientes, radiis suis mundum defendunt a tenebris.

25. Tum vero sacrifici, aram fœdatam videntes sanguinis guttis, *bandhujívorum* florum instar magnis, horrore perculsi opus relinquebant, atque cochlearia sacrificalia, e *vikankati* ligno facta, abjiciebant.

26. Statim RÁMAS suspiciens, sagittam e pharetræ ore expromens, conspexit in aere *Rákshasorum* exercitum, cujus vexilla vulturum alarum ictibus movebantur.

27. Ibi utrumque *Rákshasorum* ducem sagittarum scopos fecit, aliis neglectis: etenim GARUDAS, contra magnos angues pugnare valens, num idem parvos serpentes adoritur?

28. Ille, telorum gnarus, telum celerrimum, venti deo sacrum, arcui imposuit; atque hoc TÁDAKÆ filium, vel saxi instar gravem, haud secus ac folium flaccidum dejecit.

29. Alter *Rákshasus*, SUBÁHUS appellatus, magica vi huc illuc confugiebat; quem dexter ille sagittis, quæ soleis ferreis armatæ erant, discindens, extra eremum avibus distribuit.

30. Utriusque juvenis, qui ita sacrificiorum impedimenta dispulerant, robur bellicum celebrantes, sacerdotes taciturni stirpis domini sacra justo ordine perfecerunt.

31. Vates, post sacrificium ablutus, utrumque fratrem, quorum cincinni corporis inclinatione movebantur, post benedictionem iis impertitam, tetigit manu, cujus palma sacro gramine fissa erat.

32. Janakas, *Mithilæ* rex, sacrificii præparationibus finitis, invitavit vatem, qui, obedienter *Mithilam* tendens, Raghuidas etiam secum duxit, gaudio repletos, cum de regis arcu audirent.

33. Ab iis, iter facientibus, vesperi habitatio eligebatur sub amœnis eremi arboribus, sub quibus Gautamæ, diuturnas castigationes subeuntis, conjux per breve tempus Indræ uxor fuerat.

34. Quod Gautamæ uxor, in saxum transformata, pulchrum corpus in longum tempus recuperavit, hoc erat beneficium Rámæ pedum pulveris, peccata destruentis.

35. Janakas, hominum rex, cum audisset vatem una cum Raghuidis aggressum esse, obviam ivit venerabundus, ac si fuisset Honestum, corpore indutum, comitantibus Utili et Dulci.

36. *Videhæ* urbis civium, juvenes, *Punarvasui* sideri, de cœlo in terram aggresso, similes, oculis haurientium animus ciliis connivere etiam fraudem putabat.

37. Cærimoniis sacris circa palum sacrificalem peractis, vates, Kusikæ familiæ decus, temporis gnarus, *Mithilæ* regi narrabat, Rámam arcus videndi cupidine ardere.

38. Rex, conspiciens tenerum corpus pueri, e celebrata familia oriundi arcumque suum ægre flectendum cogitans, cruciabatur pretii, pro filia donandi, conditione.

39. Dixitque: "Venerande, quod a magnis etiam elephantis ægre per-
"ficitur, in eo equidem permittere nequeo elephanti pullum frustra con-
"tendere.

40. "Etenim, sancte, multi reges arcitentes hoc arcu pudore affecti,
"concutientes brachia, quorum cutis nervi ictibus occalluerat, indignabundi
"abierunt."

41. Cui respondit vates: "Hic quid valeat, audi!—Attamen mittamus
"sermones: ille enim robur suum probabit tibi in arcu, ut fulmen in
"monte."

42. Post hunc viri prudentis sermonem ille RAGHUIDAM, etsi cincinnos in temporibus adhuc gerentem, robore præditum esse credebat, sicut flammæ, etiamsi *indragopæ* scarabæi instar parva sit, urendi vim tribuunt.

43. *Mithilæ* rex comitum catervas arcum apportare jussit, velut INDRAS nubium turbas arcum splendidum exhibere jubet.

44. DASARATHIDES, videns arcum, dormientis serpentum principis instar terribilem, arripuit eum, quo SIVAS, bovem in vexillo gestans, dimiserat sagittam, quæ effugientem sacrificii feram persequebatur.

45. Juvenis, dum cœtus oculis præ stupore rigidis adspiceret, arcum, saxi instar firmum, haud magno labore intendit, veluti KÁMADEVAS tenerum florum arcum.

46. Ille, nimia intentione diffractus, tonitru instar tremendum sonum edens, BHRIGUIDÆ, valde irato, *Kshatriyorum* tribum impigram esse indicavit.

47. *Mithilæ* rex, læte accipiens roboris pretium, quod in SIVÆ arcu comprobatum viderat, RAGHUIDÆ dedit filiam suam, haud ex utero natam, LAKSHMIS instar formosam.

48. Deinceps *Mithilæ* rex, promisso stans, RAGHUIDÆ tradidit filiam suam, haud ex utero natam, coram vate splendido, quasi coram igne teste.

49. Misitque splendidus rex sacerdotem suum honoratum ad *Kosalæ* regem, nuntians ei: "Hanc NIMIS stirpem per filiæ nuptias tibi servilem "fieri jubere velis!"

50. Ille nurum dignam quærebat, cum perveniret ad eum *Bráhmanus* cum nuntio opportuno: nam piorum optatum, eisdem legibus obnoxium, atque arboris cœlestis fructus, illico maturescit.

51. DASARATHAS, cum audisset sermonem viri nobilis, qui omnes honores ei tribuit, profectus est, INDRÆ socius, sui potens, militum pulvere solis radios surripiens.

52. Obsidebat *Mithilam* urbem, exercitu cingens eam, et sylvarum vicinarum arbores vexans; sed urbs illa tolerabat obsidionem amicam, veluti mulier diuturnum amati amplexum.

53. Uterque princeps congressi, morem receptum observantes, VARUNÆ

atque INDRÆ similes, celebrabant virginum juvenumque nuptias, prout ipsorum dignitatem decebat.

54. RAGHUIS soboles duxit virginem e terra natam, LAKSHMAṆAS ejusdem sororem natu minorem URMILAM; utriusque fratres juniores, eximie splendentes, gracilem utramque KUSADHVAJÆ filiam.

55. Tres illi regis filii una cum quarto, cum novas uxores duxissent, splendebant, tanquam quattuor ejusdem contra inimicos subsidia, prospere cedentia, scilicet reconciliatio, dona, discordiæ excitatio et coercitio.

56. Illæ regis filiæ per hos regis filios, atque hi per illas vota sua expleta videbant; eratque conjugum cum uxoribus congressus, sicut nudæ vocum formæ cum suffixis conjunctio.

57. DASARATHAS, postquam quattuor filios suos ibi cum uxoribus conjunxerat, atque *Mithilæ* regem dimiserat, tribus itineribus in suam urbem rediit.

58. Interdum in itinere venti ex adverso flantes, atque vexilla arborum instar commoventes, exercitum ejus vehementia sua vexabant, veluti planitiem fluvii undæ, ripam transgredientes.

59. Deinde conspiciebatur sol, terribili halonis orbe cinctus, veluti delapsa serpentis, a GARUDA occisi, gemma, ejus corpore circumdata.

60. Plagæ cœlestes, cum vulturum alis, quasi subcanis cincinnis, atque nubibus vespertinis, quasi vestibus sanguine madidis, veluti mulieres menstruorum tempore, adspici haud poterant.

61. Lupæ quoque, regionem, ubi sol commoratur, aggressæ, horrendo modo ejulabant, ac si excitare vellent BHRIGUIDEN, *Kshatriyorum* sanguine sacrificia Manibus peragere adsuetum.

62. Terræ dominus officii gnarus, ventum contrarium aliaque præsagia mala animadvertens, de ominibus sinistris avertendis magistrum suum interrogavit, qui, bonum exitum promittens, sollicitudine eum liberavit.

63. Statim apparuit ingens splendor, oriens in exercitus fronte, quem denique milites, cum oculos abstersissent, viri forma præditum cognoscebant.

64. Sortem patriam gestans, filo sacro notatam, maternamque, ingenti

arcu indicatam, soli similis erat, cum luna conjuncto, seu *santali* arbori cum serpente.

65. Ille, obediens jussui patris, quamquam iracundi et omnem modum excedentis, trementis matris caput abscindens, primo misericordiam vincebat, deinde terram.

66. *Akshæ* granorum corona, dexteræ auri alligata, apparebat ille, ac si gestaret unius et viginti *Kshatriyorum* occidendorum computationem, per granorum numerum præindicatam.

67. Rex, cujus filii pueri adhuc erant, cum conspiceret Bhrighuiden, qui, ob patris cædem iratus, omnes familias regias occidere voverat, suumque statum considerans, animum demisit.

68. Rámæ nomen, filium suum horribilemque hostem designans, cor ejus percussit, timoremque ei injecit, veluti nomen, a gemma ortum, coronam significans idemque serpentem.

69. Bhriguides, haud respiciens regem: "salve! salve!" clamantem, ubi major Bharatæ frater erat, ibi convertit oculos, iræ contra *Kshatriyos* flamma splendentes, sursum elatos.

70. Raghuides, timoris expers, antecedens, sic compellatus est ab illo, qui pugnandi cupidus manum arcui admovit, sagittamque in spatio inter digitos relicto posuit.

71. " *Kshatriyorum* gens propter injuriam illatam mihi exosa est; qua " sæpius devicta, quietem adeptus eram: nunc vero, veluti serpens dor- " miens baculi ictu, sic ego roboris tui fama iratus sum.

72. " Regis *Mithilensis* arcum, a nullo alio rege ante flexum, tu fregisti: " quo audito ego quasi roboris mei cornu a te fractum puto.

73. " Olim Rámæ nomen, in mundo pronunciatum, me designabat: " nunc vero, cum tu splendorem appetas, idem nomen, significatione con- " turbata, pudorem mihi affert.

74. " Duo inimici æque gravem injuriam fecisse putantur mihi, telum " gerenti, quod ne in monte quidem irritum est: Haihayas scilicet, " qui vaccæ vitulum abripuit, atque tu, gloriam meam eripere con- " tendens.

75. " Robur meum, etiamsi *Kshatriyos* occidit, ideo non mihi satisfacit, " dum tu invictus es : ea enim ignis magnitudo dicitur, qua ille in oceano " etiam, velut in fœno flagrat.

76. " Scito vero, arcus *Sivaici*, a te diffracti, firmitudinem VISHNUIS " potestate ademptum fuisse: lenis etiam ventus arborem in fluvii ripa " dejicit, quando radices ejus undarum celeritate subfossæ erant.

77. " Quare huic arcui meo nervum intende, atque cum sagitta eum " distende. Hoc certamen esto; si hic quoque idem brachiorum robur " ostenderis, a te victus ero.

78. " Si vero invalidus es, securis meæ, alte splendentis, minis territus, " frustra securitatem petens junges manus, quarum digiti nervi ictibus " occalluerunt."

79. Ita locuto BHRIGUIDA, horribili adspectu, RAGHUIDES, leni risu labia inflectens, pro apto responso illius arcum arripuit.

80. Ille, simulac arcum teneret, quem in prioribus natalibus gestaverat, eximie pulcher erat adspectu: nuda enim nubes pulchra est, quanto magis vero, ubi INDRÆ arcu distincta est?

81. Arcus ille, altera parte in terra posita, a robusto illo intendebatur, regum inimicus vero splendorem amisit, velut ignis, cujus fumus solus relictus est.

82. Hominumque caterva adspiciebat ambo illos, ex adverso stantes, splendore alterius aucto, alterius evanescente, ut vesperi, plenilunii tempore, solem et lunam.

83. RAGHUIDES, misericordia motus, adspiciens tum BHRIGUIDEN, cujus vis in ipso frustrata erat, tum sagittam suam haud inanem, arcui adaptatam, KÁRTIKEYÆ similis, sic locutus est:

84. " Quamquam me adortus es, crudeliter contra te pugnare nequeo, " quoniam *Bráhmanus* es; sed impera visne ut hac sagitta incessum tuum " destruam, an cœlum, sacrificiis tuis meritum?"

85. Cui respondit vates: " Revera cognosco te deum priscum, atque " tuum, in terram demissi, robur *Vishnuicum* videre cupiens, iracundiam " tuam irritavi.

86. " Mihi, qui patris inimicos in cineres converti, terramque cum oceano " dono dandam putavi, clades etiam, a te supremo deo inflicta, laudabilis " facta est.

87. " Quare, sapientum optime, tuere incessum meum, ad loca sacra " visenda exoptatum: viæ in cœlum obstructio vero me, voluptatis non " cupidum, haud vexabit."

88. RAGHUIDES consensit, sagittamque orientem versus dimisit: quæ BHRIGUIDÆ, quamquam probe agenti, viæ in cœlum obex factus est, haud removendus.

89. RAGHUIDES etiam, vatis pii veniam implorans, pedes ejus amplectebatur: nam fortibus, postquam hostes robore vicerunt, reverentia gloriæ est.

90. " Quoniam materna mea qualitate impetuosa rejecta quietem pater- " nam adeptus sum, nonne hæc injuria etiam, fructu haud spernendo " prædita, beneficium est, a te mihi datum?

91. " Age, equidem abeo; ne tibi impedimentum esto, deorum negotium " peragenti!" Ita allocutus RÁMAM et LAKSHMANAM vates evanuit.

92. Quo digresso pater RÁMAM victorem amanter amplexus, iterum natum eum putabat; atque postquam per breve tempus sollicitus fuerat, gaudium accepit, ut arbor, a sylvæ igne superata, pluviam decidentem.

93. Tum terræ dominus, SIVÆ similis, nonnullis noctibus peractis in via, pulchris diversoriis adornata, urbem *Ayodhyam* ingressus est, in cujus fenestris feminarum, puellam *Mithilensem* adspicientium, oculi Nymphæarum instar splendebant.

CAPUT XII.

RÁVANAS OCCISUS.

1. Dasarathas, cum corporis gaudiis fruitus ultimam ætatem ingressus esset, exstinctui propinquus erat, veluti mane lucernæ lux.

2. Pone aures considens, sub canitie latens senectus, Kaikeyis timore mota, dixit ad eum: "Rámæ dignitatem trade!"

3. Rumor de Ráma, a civibus amato, ad dignitatem regiam evehendo, unumquemque civium lætum reddidit, veluti canalis nemoris arbores.

4. Kaikeyis, duræ indolis, præparationes ad illius inaugurationem factas fœdavit regis lacrymis, præ dolore ferventibus.

5. Evomuit illa, cum rex iratam mitigare studeret, duo promissa, ab illo data, veluti terra ab Indra rigata duos serpentes, in cavernis latentes.

6. Quorum altero Rámam per quattuordecim annos in exilium mitti postulavit; altero pro suo filio flagitavit dignitatem, cujus solus fructus ipsius viduitas erat.

7. Rámas antea terram a patre sibi traditam plorans acceperat, deinde vero in sylvam eundi jussum lætus accepit.

8. Cives cum admiratione illius vultus colorem eundem manere videbant, cum vestes solemnes gereret, et cum arborum corticem indueret.

9. Ille, ne patrem a fide præstanda detineret, una cum Síta et Lakshmana in *Dandakam* sylvam intravit, atque in cujusvis boni cor.

10. Rex vero, separatione ab illo cruciatus, et imprecationis e facinore suo ortæ memor, non nisi corpore relicto se expiationem adepturum putabat.

11. Regnum illud, juvene in exilium misso, et rege mortuo, abiit in prædam hostium, callide aliorum imbecil'itatem explorantium.

12. Tum vero ministri, domino destituti, Bharatam, apud matris suæ propinquum commorantem, advocari curabant per viros intimos, qui lacrymas supprimebant.

13. Kaikeyis filius, cum patrem suum hoc modo mortuum esse comperisset, non solum a matre sua, sed etiam a dignitate regia se avertit.

14. Secutusque est Rámam cum exercitu, atque lacrymas fundens conspexit arbores, inter quas ille cum Sumitrida habitabat, ab anachoretis sibi indicatas.

15. Postquam illi, in *Chitrakútæ* sylva habitanti, narrasset, patrem in cœlum abiisse, eum revocare studebat per Lakshmim, cujus felicitates non meræ reliquiæ erant.

16. Ipse enim, ante quam frater ejus major dignitatem regiam in matrimonium quasi duxisset, semet ipsum, si terræ regnum acciperet, ante illum matrimonium iniisse putavisset.

17. Quem cum amovere non posset, ut pater mortuus jusserat, petebat ab eo duas crepidas, quas regni quasi deas tutelares faceret.

18. Tum dimissus a fratre, qui hoc ei concesserat, non in urbem intravit, sed *Nandem* pagum profectus, fruebatur regno, quasi thesauro sibi commisso.

19. Ita fratris majoris amantissimus, remotus ab omni regnandi cupidine, ad matris facinus expiandum, pœnitentiam quasi agebat.

20. Rámas vero cum Síta in sylva victu agresti degens, tranquillus una cum fratre minore votum exsolvit juvenis, quod Ikshvákuidæ senes exsolvere solebant.

21. Aliquando aggressus ad arborem, quæ latitudine sua densam præbebat umbram, præ lassitudine aliquantulum dormiebat in Sítæ gremio.

22. Tunc avis, ab Indra oriunda, unguibus suis Sítæ mammas dilaceravit, vilipendens quasi notas, quas illæ ex amati amplexibus ferebant.

23. Rámas, ab uxore pulchra e somno excitatus, graminis culmum jecit contra avem, quæ altero oculo amisso evolavit.

24. Rámas vero, ob loci propinquitatem Bharatæ reditum timens, reliquit *Chitrakútæ* regionem, cuculis mœste canentibus frequentatam.

25. Procedebat ille, commorans in hospitalibus vatum eremis, regionem meridionalem versus, veluti sol in signis autumnalibus commorans.

26. Illum secuta *Videhæ* regis filia apparebat, veluti splendor regius, etiamsi a Kaikeyi prohibitus, illius virtutibus allectus.

27. Ejus membrorum unguento, ab Anusúya donato, suaves ordores diffundente, apes e sylvæ floribus eliciebantur.

28. Stetit ibi *Rákshasus* quidam, Virádhas appellatus, nubis vespertinæ instar fuscus, Rámæ viam præcludens, veluti Ráhus lunæ viam.

29. Abripuit ille ex utriusque fratris medio puellam *Mithilensem*, veluti siccitas pluviam abripit inter *Srávanam* et *Bhádrapadam* menses.

30. Quem cum occidissent juvenes Kakutsthidæ, antequam putido suo fœtore regionem contaminaret, in terra defoderunt.

31. Deinde Rámas, rectitudinis limites haud excedens, ab Agastya jussus, restitit in *Panchavati*, veluti *Vindhyas* mons in altitudine sua, quam a principio habebat.

32. Ibi Rávanæ soror natu minor, amore perculsa, accessit Raghuiden, veluti serpens, æstu vexatus, arborem in *Malaya* monte.

33. Illa, ipsa Síta præsente, Rámæ favorem captabat, originem suum ei narrans: etenim mulierum amor, quando nimis auctus, tempus haud respicit.

34. "Equidem uxorem habeo, puella, hujus fratris mei minoris amorem "capta!" Ita Rámas, humeris taurinis præditus, illam viri cupidam exhortabatur.

35. Illa, antequam ad majorem sese converteret, ab eo quoque non accepta, iterum ad Rámam confugit, fluvii instar, utramque ripam lambentis.

36. Sitæ risus puellam pulchram iratam reddidit, veluti luna oriens oceani fluctum, qui, protectus a vento, tranquillus restabat.

37. "Risus tui fructum statim adipiscere, adspice me! Scito, facinus "tuum esse, veluti contemptus, tigridi ostensus a caprea!"

38. Ita allocuta puellam *Mithilensem,* quæ præ timore in mariti sinum confugit, Súrpanakha speciem assumpsit, nomini suo similem.

39. Lakshmanas, qui primo eam cuculi instar dulce loquentem audiverat, deinde lupæ instar horribiles sonos edentem, transformatam illam putabat.

40. Ille stricto gladio in casam frondeam celeriter ingressus, terribilem illam iterata deformitate affecit.

41. Illa, in aere pendens, utrique fratri minitabatur digito suo, unco simili, unguibus aduncis prædito, nodisque arundinis instar crassis.

42. Mox vero *Dandakam* sylvam ingressa, Kharæ aliisque *Rákshasis* narravit talem Rámæ conatum, novam *Rákshasorum* contumeliam.

43. Quod *Rákshasi* illam, vultus membra laceratam, magni faciebant, id illis, Rámam adorientibus, funestum evasit.

44. Raghuides insolentes illos telis elatis accurrentes videns, victoriæ spem in arcu collacavit, Sítam Lakshmanæ commisit.

45. Rámas Dasarathides solus erat, *Rákshasi* vero mille, sed quot illorum erant, eundem numerum ille etiam in prœlio habere iis videbatur.

46. Kakutsthides, probe agens, Dúshanam, e scelestorum caterva missum, haud toleravit, veluti suum ipsius vitium.

47. Illum, Kharam atque Trisirasem deinceps excepit sagittis, quæ vero quasi uno eodemque tempore ab arcu ejus evolabant.

48. Ab acutis illis sagittis, quæ, priore puritate servata, trium illorum corpora penetrabant, vita eorum hauriebatur, sanguis vero ab avibus.

49. Ingenti illo *Rákshasorum* exercitu Rámæ sagittis trucidato, nihil erectum conspiciebatur, præter truncos.

50. Ille deorum hostium exercitus, postquam cum Ráma, sagittarum imbres effundente, pugnaverat, non experrecturus dormiebat in vulturum umbra.

51. E *Rákshasis,* Rámæ telis deletis, sola Súrpanakha nuntium malum Rávanæ attulit.

52. Dhanadæ frater minor, post contumeliam sorori inflictam, atque

propinquorum cædem, Rámæ pedem decem capitibus suis impositum putabat.

53. Per *Rákshasum*, capreæ forma indutum, Raghuidas decipiens, per aliquod tempus avium principis contentionibus impeditus, Sítam abripuit.

54. Ambo fratres, Sítam quærentes, vulturem conspexerunt, alis abscissis, qui spiritu per guttur exeunte sui in Dasaratham amoris debitum solverat.

55. Hic Sítam a Rávana raptam esse, voce illis narravit, atque nobile suum ipsius factum vulneribus annuntians, mortuus est.

56. Ambo illi, quorum dolor de patris morte novus adhuc erat, in illo, haud aliter ac in patre suo, cærimonias funebres, inde a combustione, iterum exsequebantur.

57. Suadente Kabandha, qui per mortem ab imprecatione liberabatur, Rámas amicitiam contraxit cum simio Sugríva, qui in eadem ac ipse calamitate versabatur.

58. Báline occiso heros ille in ejus locum diu expetitum substituit Sugrívam, veluti radicem vicariam in primæ radicis locum.

59. Deinde simii, ad Sítam quærendam a marito missi, huc illuc vagabantur, perinde ut Rámæ vota.

60. Nuntio de illa accepto e Sampátis ore, Marutæ filius oceanum trajecit, vitam mundanam veluti, sine sui commodi studio.

61. Ille investigans conspexit Janakæ filiam in urbe *Lanka*, *Rákshasorum* mulieribus cinctam, pudicam veluti Mimosam, herbis veneniferis circumdatam.

62. Dedit ei simius annulum, mariti signum, cui frigidæ illius gaudii lacrymæ obviam quasi veniebant.

63. Postquam nuntiis de marito Sítam exhilarasset, ille, Akshæ cæde elatus, urbem *Lankam* combussit, per breve tempus vexationem ab hoste sustinens.

64. Re peracta ostendit Rámæ signum mutuum, ipsum veluti Sítæ cor, corpore induto aggressum.

65. Rámas gemmæ, in corde collocatæ, contactu oculos claudens, amatæ amplexus voluptatem percepit, mammas illius non tangens.

66. Rámas, nuntio de uxore audito, cum illa congredi cupiens, magnum oceanum, quo *Lanka* circumfluitur, fossæ instar exiguum putabat.

67. Profectus est ad hostium necem, simiorum exercitibus sequentibus, neque solum in terræ dorso, sed etiam per aera catervatim incedentibus.

68. Ad illum, in oceani litore considentem, pervenit Vibhíshanas, missus quasi per amorem a *Rákshasorum* Fortuna, quæ hoc consilium ei injecerat.

69. Cui Raghuides *Rákshasorum* imperium pollicebatur: etenim morum præcepta, justo tempore exercita, fructum producunt.

70. Ille in oceano salso pontem strui curavit per simios, similem Seshæ, e regionibus infernis emergenti ad Vishnuis somnum.

71. Per hanc viam transgressus, *Lankam* urbem obsedit simiis fulvis, alterum vallum aureum quasi efficientibus.

72. Prœlium ibi oriebatur terribile inter simios et *Rákshasos*, Rámæ æque ac Rávanæ victoriæ clamore plagas feriente.

73. Clavæ diffringebantur arboribus, mallei contundebantur lapidibus, unguium lacerationes ipsas sagittas superabant, elephanti saxis elidebantur.

74. Tum Sítam, quæ Rámæ caput findi videns animo linquebatur, Trijata in vitam revocavit, illusionem id esse docens.

75. "Vivit dominus meus!" Ita exclamans illa libenter dolorem abjecit; antea vero, ejus mortem veram esse putans, "ego superstes sum!" ita cogitans pudore confusa erat.

76. Brevis Dasarathidarum afflictio, cum laqueus, a Meghanáda iis injectus, Garuda advolante dissolveretur, erat, ac si in somnio iis accidisset.

77. Tum Rávanas hasta Lakshmanam in pectore vulneravit, Rámas vero, quamquam non percussus, cor dolore laceratum habuit.

78. Lakshmanas vero, dolore levato per herbam, ab Hanumante allatam, denuo sagittis suis *Lankæ* mulieres lamentari docebat.

79. Veluti tempus autumnale nubis, sic ille MEGHANÁDÆ clamorem arcumque, INDRÆ arcui similem, amplius exsistere haud passus est.

80. KUMBHAKARNAS, a simiorum principe in eandem cum sorore sua conditionem redactus, RÁMÆ se opposuit, montis instar e quo arsenicum rubrum scalpro excisum est.

81. "Male tu, somni amans, a fratre intempestive expergefactus es!" Ita cogitantis quasi RÁMÆ sagittis in diuturnum somnum inductus est.

82. Alii etiam *Rákshasi* in simiorum gladia incidebant, ut pulvis, in prœlio ortus, in sanguinis eorum flumina.

83. Deinde RÁVANAS iterum ex urbe in pugnam egressus est, "hodie "mundus sive RÁVANA sive RÁMA vacuus erit!" ita constituens.

84. INDRAS, RÁMAM peditem conspiciens, *Lankæ* regem vero currus scirpea protectum, misit illi currum, fulvis equis junctum.

85. Currum illum victorem, cujus vexillum *Gangæ* cœlestis undarum ventis movebatur, ascendit RAGHUIDES, dei aurigæ brachiis innixus.

86. MÁTALIS induit ei magni INDRÆ loricam, in qua *Rákshasorum* tela loti foliorum imbecillitatem adipiscebantur.

87. Hoc RÁMÆ et RÁVANÆ prœlium, in quo uterque mutuo adspectu roboris tandem occasionem inveniebant, propositum quasi explevit.

88. Minor DHANAJÆ frater, quamquam solus et non sicut antea, tamen brachiorum, capitum atque pedum multitudine quasi in propinquorum maternorum medio stare videbatur.

89. RÁMAS hostem suum, mundi dominorum victorem, qui capita sua SIVÆ dederat, atque *Kailásam* montem sustulerat, magnum putabat.

90. RÁVANAS in dextrum ejus brachium, quod tremens SÍTÆ recuperationem prænuntiabat, valde iratus sagittam defixit.

91. Sagitta, a RÁMA emissa, RÁVANÆ pectore perforato in terram intravit, quasi serpentibus gratum muntium allatura.

92. Amborum, vocem voce, tela telis profligantium, mutuus vincendi furor adaugebatur, veluti duorum narratorum.

93. Victoriæ fortuna roboris vicissitudine inter ambos æqua erat, velut agger inter duos elephantos ebrios.

94. Sagittarum copiæ invicem haud tolerabant florum imbres, in utrumque demissos, et Diis et *Asuris*, utriusque impetu et renisu delectatis.

95. Deinde *Rákshasus* vibravit contra hostem clavam, dentibus ferreis instructam, raptam veluti Yamæ clavam, e *Kútasálmale* arbore factam.

96. Raghuides sagittis lunatis, æque facile ac *kadalim* arborem, diffidit clavam illam, antequam currum suum attigerat, atque *Rákshasorum* spem.

97. Tum unicus ille arcitenens ad illum feriendum arcui adaptavit telum haud inane, Brahmani sacrum, medicinam quasi ad doloris de uxore aculeum extrahendum.

98. Illud in aere in centum partes divisum videbatur, fulgentibus cuspidibus præditum, veluti magni serpentis corpus, horrendis in capitibus orbibus distinctum.

99. Hoc telo, cum incantamento emisso, uno temporis momento abscidit Rávanæ capitum seriem, illo dolorem non sentiente.

100. Velut in aqua recentis solis imago, undis divisa, sic in cadente *Rákshasi* corpore splendebat cervicum decisarum series.

101. Deorum animus, etsi capita ejus cadentia videbant, haud nimiam fiduciam capiebat, quia ne illa rursus jungerentur timebant.

102. Tum vero in Rámæ caput, regio diademate mox ornandum, decidit fragrans florum imber, a diis missus, quem sequebantur apum examina, alis melle gravatis, rimas in mundi custodum elephantium temporibus relinquentia.

103. Tum Indræ auriga Raghuiden, qui deorum mandato expleto arcus nervum resolverat, valere jussit, atque currum, mille equis junctum, cujus vexilli pertica notata erat Rávanæ sagittis, nomine ejus inscriptis, evexit in altum.

104. Raghuidarum dominus vero, uxorem amatam igne lustratam adeptus, regiam hostis dignitatem tradidit Vibhíshanæ, caro amico, atque hoc cum Solis filio et Sumitrida sequente, currum cœlestem, brachiis suis occupatum, ascendens, in urbem profectus est.

CAPUT XIII.

REDITUS IN DANDAKAM SYLVAM.

1. Tum vero Vishnus, Rámæ nomen gerens, qualitatum gnarus, regionem suam, cujus qualitas sonus est, curru cœlesti transvolans, oceanum adspiciens uxorem clam allocutus est:

2. "En, *Videhensis*, oceanus spumans, quem pons meus usque ad "*Malayam* montem dividit, ut splendoris via æthera, autumno serenum, "pulchras stellas ostendentem.

3. "Is olim suffodiebatur a patribus nostris, cum patris eorum, sacri-"ficare cupientis, equus sacer a Kapila in orcum abductus esset, atque "illi ejus recuperandi caussa terram finderent.

4. "Ex hoc solis radii fœtum hauriunt, inde divitiæ augmentum capiunt; "hic ignem alit, qui aquam comburit, ab hoc astrum delectans genitum "est.

5. "Ejus forma, quæ, hunc vel illum statum assumens, magnitudine sua "decem regiones pervadens consistit, æque ac Vishnuis forma, neque "qualitate, neque quantitate definiri potest.

6. "In eodem requiescit numen supremum, celebratum a primo creatore, "qui in loto, ex illius umbilico ascendente, sedet, quando illud in unius "ætatis fine, mundis in semet ipsum retractis, devotionis somno addictum "est.

7. "Ad hunc tanquam protectorem confugiunt centeni montes, superbia "privati per Indram, latera eorum findentem, veluti reges periculo immi-"nente ab hostibus confugiunt ad regem medium, honestate distinctum.

8. "Ejus aqua limpida, sub mundi destructionem accrescens, terræ,

" quam primus deus ex inferno eduxit, per breve tempus faciei ornamen-" tum evasit.

9. " Idem, undarum labia porrigendi gnarus, quem nemo æquat con-" suetudine cum uxoribus, bibit amnes, natura sua in ore præbendo auda-" ces, iisdemque bibere dat.

10. " Istæ balænæ, aquam e fluviorum oribus, bestiis repletam, capientes, " atque ora hiantia claudentes, per capita, foraminibus prædita, aquæ " flumina emittunt in altum.

11. " En monstris marinis, elephantis similibus, subito emergentibus, " bifariam divisas maris spumas, quæ genis illorum adhærentes per breve " tempus apparent veluti muscaria, aures eorum ornantia.

12. " Serpentes, qui emergunt ad ventum a litore flantem hauriendum, " ab undis volutis haud dignoscendi, distinguuntur gemmis, solis radiorum " contactu eximie splendentibus in capitum orbe.

13. " Hæ conchæ, subito undarum rapiditate conjectæ in corallia, labio-" rum tuorum æmula, oribus suis in ramis prominentibus hærentes, ægre e " suspendio discedunt.

14. " Nube illa, quæ vix accessit ad aquam bibendam, sed turbinis rapi-" ditate circumagitur, prorsus apparet oceanus iste, ac si iterum monte " agitaretur.

15. " Oceani salsi, æneæ rotæ similis, litus tenue, *tamálarum* et " *tálium* sylvarum seriebus nigrum, e longinquo apparet, veluti æruginis " linea in rotæ acie.

16. " Ventus, e litore spirans, *ketakarum* polline os tuum adornat, O " longis oculis prædita! Scire eum diceres, me, qui labia tua *vimbis* " similia sitio, ornatu parando tempus perdere non posse.

17. " Nos currus cœlestis rapiditate temporis momento pervenimus " ad oceani litus, *púgarum*, fructus onere inflexarum, serie consitum, in " cujus syrtibus jacet margaritarum copia, a conchis dispersarum.

18. " Jam vero, teneris femoribus cervarumque obtutu prædita, oculos " conjice in viam, quam emensi sumus: terra ista, sylvis tecta, emergit " quasi ex oceano remoto.

19. " Ecce, perinde ac animi mei desiderium, sic currus cœlestis procedit
" modo in deorum, modo in nubium, modo in avium via.

20. " Iste ætheris ventus, odorem fundens liquoris, e magni INDRÆ
" elephanti temporibus stillantis, et fluvii triplicis undarum contactu
" frigidus, delambit sudoris guttas, in facie tua recentis diei calore ortas.

21. " Hæc nubes, coruscante fulmine quasi armilla ornata, a te, ira-
" cunda, per jocum tacta manu fenestræ innixa, alterum quasi ornamen-
" tum tibi præbet.

22. " Ili eremitæ, cortice induti, *Dandakam* sylvam periculis liberam
" cognoscentes, pro suo quisque loco occupant eremorum regiones, diu
" desertas, novis casis constructis.

23. " Ista est illa regio, ubi, cum te quærerem, in terram lapsum con-
" spiciebam pedis annulum, præ dolore quasi ob sejunctionem a pedis tui
" loto, silentium tenentem.

24. " Qua via tu, timida, a *Rákshaso* abducta eras, eam istæ plantæ
" repentes, misericordi animo, cum loqui non valerent, indicabant mihi
" ramis suis, quorum surculi infracti erant.

25. " Cervæ etiam, graminis culmos haud respicientes, certiorem facie-
" bant me, itineris tui inscium, oculos ad meridiem convertentes, elata
" ciliorum serie.

26. " Istud ante nos apparet *Málgavantis* montis cacumen, æthera tan-
" gens, ubi novam aquam effundebant nubes, ego vero eodem tempore
" lacrymas ob separationem a te :

27. " Ubi sine te ferre non poteram lacuum, pluviæ guttis rigatorum,
" odorem, neque *kadambæ* flores, semiapertis foliis præditos, nec dulces
" pavonum clamores :

28. " Atque ubi ego, occultationum memor, quibus tu, timida, ut me
" vexares, antea gavisa erat, vix tolerabam nubium strepitum, e cavernis
" resonantem :

29. " Ubi torquebat me oculorum tuorum, ignis matrimonialis fumo
" nigrorum, pulchritudo, quam, dum terra, imbre rigata, vapore tegebatur,
" calicibus apertis imitabantur fungi.

30. "Obtutus, longe descendens, cum labore quasi haurit istas *Pampæ* "lacus aquas, inter propinquas calami sylvas latentes, in quibus grues "ludentes conspiciuntur.

31. "Ibi ego, procul a te amata commorans, cum voluptate conspiciebam "*ratháṅgarum* paria, nunquam sejuncta, sibi invicem lotorum folia por- "rigentia.

32. "Atque cum amplecti cuperem tenuem istum *asokæ*, in litore stantis, "ramum, duobus florum fasciculis, mammarum instar pulchris, inclina- "tum, ad te me pervenisse putans, LAKSHMANAS, lacrymas fundens, me "retinebat.

33. "Isti gruum in *Godávari* fluvio ordines, tintinnabulorum aureorum, "in curru pendentium, sono audito sursum evolantes, tibi obviam quasi "veniunt.

34. "Ista *Panchavatis*, ubi tu, quamquam tenero corpore prædita, no- "vellas Mangiferas gutturnio rigare solebas, cum cervis suis sursum "spectantibus, post longum tempus denuo conspecta, animum meum "delectat.

35. "Ibi prope *Godávarim* fluvium, me, a venatu redeuntem, lassitudine "undarum vento levata, capite in occulto in gremio tuo reposito, in calami "sylvis dormire memini.

36. "Qui sola oculi nictatione NAGHUSHAM ex INDRÆ loco decidere fecit, "ejusdem vatis, aquam turbidam limpidam reddentis, ista habitatio erat "terrestris.

37. "Voluptatem percipit animus meus, cupiditatis expers, dum odoratur "trium ignium, quos vates ille, irreprehensa gloria præditus, colebat, "fumum, qui, in currus viam adveniens, butyri sacri odorem spargit.

38. "Iste SÁTAKARNIS vatis lacus voluptarius, *Panchápsaras* appellatus, "cum sylvis vicinis e longinquo resplendet, O superba, veluti lunæ orbis, "paullulum inter nubes conspiciendus.

39. "Olim ille vates, una cum cervis non nisi graminum culmis vivens, "ab INDRA, meditationem illius metuente, inductus esse fertur in quinque "*Apsarasium* juventutis laqueum.

40. "Concentus et tympanorum sonus, ab illo in ædibus sub aqua habitante redditus, in aera ascendens, currus conclavia superiora per temporis momentum strepitu resonare facit.

41. "Iste alius vir pius, nomine Sutíkshnas, moribus mitis, castigationes perfert inter quattuor ignes, ligna consumentes, sole frontem ejus torrente.

42. "Illum, qui Indræ metum injiciebat, commovere haud valebant gestus amatorii feminarum divinarum, cum risu oculos in eum convertentium, atque callide cingulorum partem ostendentium.

43. "Ille, brachia erecta tenens, salutationem meam benevole accipiens, huc convertit brachium dextrum, rosario quasi brachiali cinctum, quo capreas fricare et acuta gramina sacra decerpere solebat.

44. "Propter silentii votum inclinationem meam venerabundam leni capitis nutatione accipiens, obtutum, curru intercedente liberatum, rursus defigit in solem, mille radiis splendentem.

45. "Ista est pura tutelamque præstans castigationum sylva Sarabhangæ, æternum ignem colentis, qui, postquam diu lignis oblectaverat ignem, etiam corpus suum, carminibus sacris lustratum, sacrificavit.

46. "Honores, quos ipse advenis adhibere solebat, nunc, quasi bonis ejus filiis, demandati sunt arboribus istis, ob magnam fructuum copiam honorandis, umbra sua itineris defatigationem abducentibus.

47. "Iste *Chitrakútas* mons, O undulatis membris prædita, animum meum capit, superbo tauro similis, qui cavernam, scaturiginis murmure resonantem, pro ore habet, et in cujus summo cornu nubes quasi aggeri lutum hæret.

48. "Iste *Mandákinis* fluvius, limpida aqua, sine motu decurrens, propter longum intervallum tenuis, apparet in montis radice, veluti margaritarum linea, in terræ collo pendens.

49. "Ibi prope montem est procera *tamála* arbor, cujus ramum odoriferum ego faciebam aurium tuarum ornamentum, splendens in genis tuis, hordei culmi instar subpallidis.

50. " Hæc est sylva in qua ATRIS castigationes perfert, bestiis repleta, " nullam injuriam timentibus, eximiam excellentiam ostendens; cujus " arbores sine florum indicio fructus producunt.

51. " Huc, ad ablutiones vatum, castigationibus divitum, ANUSÚYA " duxit *Gangam,* tergemino flumine decurrentem, dei trioculi verticis coro- " nam, cujus loti aureæ septem vatum manibus evelluntur.

52. " Hæ etiam vatum, in sellis sacris meditantium, arbores, simili modo " aræ medium occupantes, ventis quiescentibus immotæ, meditationi " vacare videntur.

53. " Hæc est ficus, antea a te expetita, *Syáma* appellata; quæ fructibus " tecta apparet veluti smaragdorum acervus, rubinis interspersus.

54. " Heic veluti margaritarum torques, smaragdis, splendorem funden- " tibus, distincta; ibi velut albarum lotorum corona, Nymphæis cæruleis " pertexta:

55. " Heic velut avium, *Mánasam* lacum amantium, series, anatibus " mixta; ibi veluti terræ ornatus *santali* ligno factus, atque agallochi lineis " distinctus:

56. " Heic veluti lunæ splendor, tenebris umbrosis variatus; ibi splen- " dens veluti nubium autumnalium ordo, per cujus spatia relicta cæli p[illegible]s " conspicitur:

57. " Alicubi etiam veluti SIVÆ corpus, nigro serpente cinctum, cinere " unctum: ita, adspice, pulcherrimis membris prædita, apparet *Ganga,* " ubi ejus flumen *Yamunæ* undis dividitur.

58. " Qui, animis per ablutionem in hoc oceani uxorum confluente lu- " stratis, corpus relinquunt, iis, etiam sine summi numinis cognitione, nulla " amplius est cum corpore conjunctio.

59. " Hæc est *Nishádorum* regis urbs, ubi, postquam ego diademate " abjecto capillos religaveram, SUMANTRAS lamentabatur: 'Eheu! KAI- " 'KEYIS, desideria tua expleta sunt.'

60. " Hic est *Sarayus* fluvius, cujus fontem apte loquentes BRAH- " MANIS lacum esse dicunt, cujus lotorum aurearum polline *Yaksho-*

" *rum* mulierum mammæ gaudent: perinde ut natura indistincta fons est " intellectus.

61. " Hic fluvius, in cujus ripis postes sacrificales defossæ sunt, versus " *Ayodhyam,* urbem regiam, devehit aquas suas, puriores redditas ab " Ikshvákuidis, post sacrificia equina abluendi caussa in illas immer- " gentibus.

62. " Quem animus meus colit, tanquam communem matrem *Kosalæ* " septentrionalis regum, voluptati in insulis, quasi in gremio ejus, adsue- " torum, atque larga ejus aqua nutritorum.

63. " Hæc *Sarayus,* matris meæ instar, a rege illo honorando separata, " me procul commorantem amplectitur quasi undarum brachiis, frigidos " ventos ferentibus.

64. " Quia pulvis terrenus, tincti diluculi instar fuscus, in conspectu " nostro surgit, suspicor ego, obviam nobis venire Bharatam cum exer- " citu, per Hanumantem de adventu nostro certiorèm factum.

65. " Certe probus ille offeret mihi redeunti, qui promissum exsolvi, " dignitatem integram, ut Lakshmanas adduxit mihi te, Khara aliisque " *Rákshasis* in prœlio occisis servatam.

66. " Bharatas pedibus incedens, magistrum præire jubens, exercitum- " que instructum post se ducens, cortice indutus, una cum consiliariis " senibus, munera manibus tenens, mihi obviam venit.

67. " Qui mei respectu habito, quamquam juvenis, dignitate a patre " data, quam in sinu tenebat, haud fruitus, per tot annos cum illa durum " abstinentiæ votum exsolvit."

68. Dasarathida hæc locuto, currus cœlestis, divinitate sua optatum illius cognoscens, descendit e semita fulgente, cum stupore conspectus a civibus, Bharatam sequentibus.

69. Atque Rámas, manum porrigens simiorum principi, officii gnaro, descendit de curru per scalam, a Vibhíshana præeunte indicatam, haud longinquam a terra, atque in intervallis crystallo distinctam.

70. Pius ille, postquam inclinato corpore salutasset Ikshvákuidarum familiæ magistrum, Bharatam fratrem, muneribus acceptis, lacrymas

fundens amplectebatur, atque osculabatur caput ejus, a quo per pietatem erga ipsum remota erat inauguratio in regnum paternum.

71. Recepitque consiliarios senes, quorum ora, ficuum instar ramis tectarum, longis barbis deformia erant, atque qui blandis oculis eum salutabant, dulcique voce de salute ejus percontabantur.

72. "Hicce est calamitatis meæ socius, simiorum in *Riksha* monte "dominus, et hic PULASTYADES, in prima acie pugnans." Ita a RAGHUIDA venerabundo indicatos ambos prætermittens BHARATAS LAKSHMANAM salvere jussit.

73. Deinde cum SUMITRIDA propius congressus, illum inclinato capite adstantem erexit, vehementerque amplexus est, dolorem faciens quasi pectori illius suo pectore, quod vulneribus, in pugna cum INDRAJITE acceptis, occalluerat.

74. Tum simiorum exercitus duces, a RÁMA jussi, corpora humana induentes, elephantos ascendebant, in quibus, larga liquoris flumina effundentibus, eandem voluptatem capiebant, ac si montem ascendissent.

75. VIBHÍSHANAS etiam, *Rákshasorum* dominus, cum comitibus suis, DASARATHIDA jubente, currus ascendit, qui in artificioso partium splendore ne ab ipsius quidem curribus, quamquam magica arte factis, æquabantur.

76. RAGHUIDARUM princeps una cum fratribus minoribus iterum ascendit currum cœlestem, volitante vexillo instructum, ad ejus nutum procedentem; veluti luna, stellarum domina, per conjunctionem cum BUDHA et VRIHASPATE conspicua, ascendit vespertinam nubium copiam, micante fulmine distinctam.

77. Ibi BHARATAS venerabatur lætam filiam *Mithilensem*, quam RÁMAS e RÁVANÆ periculo servaverat, veluti mundorum dominus terram servabat e diluvio, seu veluti temporis pluvii abitus lunæ splendorem liberat a nubium copia.

78. JANAKÆ filiæ pedum par celebrandum, quod repudiatis *Lankæ* domini blandimentis fidem suam servaverat, probique BHARATÆ caput,

in quo ille propter observantiam erga fratrem majorem capillos colligatos gestabat; utrumque mutuo contactu se invicem purgabant.

79. Rámas venerandus, civibus per *krosæ* dimidium comitantibus, curru cœlesti lente procedente, migrabat in sylvam, *Ayodhyæ* vicinam, a Satrughna tentoriis instructam.

CAPUT XIV.

SÍTÆ REPUDIUM.

1. Ibi vero Dasarathidæ videbant ambas suas matres, post mariti obitum in aliam conditionem lugendam simul redactas, veluti duas plantas repentes, arbore, quam amplectebantur, cæsa.

2. Uterque, hostium occisores, robore splendentes, cum illas ordine salutassent, a matribus, quarum oculi lacrymis suffusi erant, haud distincte videbantur, sed non nisi per voluptatem, e filii contactu perceptam, cognoscebantur.

3. Frigidæ gaudii lacrymæ dividebant ferventes earum mœroris fletus, veluti flumina, e monte nivoso decurrentia, æstu calefactam *Gangæ* et *Śarayuis* aquam.

4. Illæ amanter tangentes humida quasi *Rákshasorum* telorum vestigia in filiorum corpore, haud concupiscebant heroum matris nomen, etsi expetitum a nobilibus *Kshatriyorum* mulieribus.

5. "Equidem Síta sum, marito meo miseriam afferens, infausta!" Ita nomen suum indicans nurus, reverentia haud violata, salutavit soceri, in cœlo commorantis, uxores.

6. "Surge, filia! Nonne puris tuis moribus iste maritus tuus cum fratre "minore e magna miseria servatus est?" Ita illæ haud falso alloquebantur eam, marito dignam, atque ipsum ejus maritum.

7. Tum vero Raghuidarum principis inaugurationem, matrum lacrymis inceptam, consiliarii senes absolvebant aqua, in vasibus aureis e sacratis ablutionum locis allata.

8. Aquæ, a *Rákshasorum* simiorumque principibus, fluvios, oceanos, et

lacus aggressis, allatæ, decidebant in victoris caput, sicut aquæ, e nubibus ortæ, in *Vindhyæ* cacumen.

9. Qui jam eremitæ veste indutus eximie conspicuus fuerat, in eo, cum ornatum regium induisset, splendor oriebatur, quasi iterationis vitio affectus.

10. Ille cum militibus, qui consiliariis, *Rákshasis,* simiisque mixti erant, et cum civibus, instrumentorum sono delectatis, ingressus est regiam stirpis suæ urbem, altis portis instructam, e cujus ædibus grana humectata ei obviam jaciebantur.

11. In curru stans, dum flabella leviter movebantur a Sumitrida ejusque fratre minore, dumque umbella a Bharata tenebatur, erat veluti subsidiorum collectio, corpore induta.

12. Fumi, ex agallocho in ædibus incenso procedentis series, venti violentia divisa, apparebat velut urbis illius capillorum plexus, ab ipso Ráma, e sylva reverso, solutus.

13. Raghuidarum herois uxorem, a socris vestibus pulcherrimis indutam, in lectica sedentem, *Ayodhyæ* urbis mulieres salutabant manibus, quæ junctæ in ædium fenestris conspiciebantur.

14. Illa, perfusa unguento perenni, micantem splendoris orbem fundente, ab Anusúya dato, a marito urbi suæ tanquam pura monstrata, denuo splendebat, ac si ignem ingressa fuisset.

15. Rámas, amicitiæ plenus, postquam amicis suis domicilia omnibus commodis instructa dedisset, lacrymas fundens ingressus est patris, sola effigie superstitis, ædes honoribus adornatas.

16. Bharatæ matris dolorem removit, junctis manibus sic eam alloquens: " Quod, O mater, patrem nostrum haud deflectere passa es a " veritate, cujus fructus cœlum est, hoc considerate a te factum est."

17. Atque tum Sugrívæ, Vibhíshanæ et reliquis tantos honores aptos obtulit, ut, quamquam illi sola cogitatione omnia efficere valebant, tamen animus eorum stupore impleretur.

18. Deinde eremitas divinos, reverentiæ caussa aggressos, veneratus, ab his recitatum audiebat hostis occisi originem et vitam, qui ipsius robori majorem etiam tribuebant gravitatem.

19. Viris piis rursus profectis, RÁMAS *Rákshasorum* et simiorum principes etiam dimisit, quibus ipsa SÍTA manibus suis eximia munera obtulerat, et qui præ gaudio haud animadverterant, mensem dimidium elapsum esse.

20. Atque RÁMAS *Pushpakum* currum, cogitatione sua facile impetrandum, cœli ornamentum, deorum hosti una cum vita ereptum, ut *Kailásæ* dominus rursus eo veheretur, dimisit.

21. Ita secundum patris jussum habitatione in sylva finita, RÁMAS, imperium adeptus, ut Honestum, Utile atque Dulce, sic etiam fratres suos minores justa ratione tractabat.

22. Atque pietate actus omnibus suis matribus parem exhibebat reverentiam, veluti copiarum cœlestium dux *Krittikis* nymphis, sex oribus suis ex uniuscujusque mammis lac hauriens.

23. Mundus per eum, a cupiditate remotum, dives erat; per eum, periculorum timores repellentem, negotia sua peracta videbat; per eum moderatorem patre præditus erat; atque filio præditus, per eum, dolores removentem.

24. Ille civium negotia respiciens, tempore opportuno cum *Videhæ* regis filia se oblectavit, congressus quasi cum LAKSHMI, quæ, voluptatis cupida, SÍTÆ corpus pulchrum induisset.

25. Iis, qui ex optato sensuum voluptatibus fruebantur, in ædibus picturis ornatis, dolores etiam, quos in *Dandaka* sylva perpessi erant, in memoriam revocati, voluptatem præbebant.

26. Tum vero SÍTA tenerrimo suo adspectu, oreque *saræ* graminis instar pallido, sine verbis graviditatem illius indicante, marito suo lætitiam attulit.

27. In gremio positam illam, tenero corpore præditam, cujus mammarum papillæ colorem mutaverant, pudibundam, pulchram, maritus lætus quid cuperet interrogavit.

28. Illa iterum adire desideravit sylvas sacras ad *Bhágírathis* ripas, sacro gramine abundantes, oryzæ culmis, per bestias decerptis, quasi oblationibus plenas, ubi eremitarum filiæ amicitia conjunctæ vivebant.

29. RAGHUIDARUM fortissimus, hoc desiderium ei pollicitus, cum

comitibus ascendit in ædium tectum, nubes tangens, ut lætam *Ayodhyam* conspiceret.

30. Conspiciens viam regiam, opulentis emporiis plenam, atque *Sarayuem* fluvium, quem naves secabant, sylvasque prope urbem, a civibus se delectantibus occupatas, gaudio perfundebatur.

31. Ille, loquentium primus, puris moribus, brachiis serpentum regis instar magnis, qui hostium felicitatem propulsaverat, BHADRAM, emissarium suum, quid de actionibus suis dicerent homines, interrogavit.

32. Qui cum pertinaciter interrogatus esset, " Omnes," inquit, " actiones " tuas celebrant cives, hominum rex, præter receptionem reginæ, postquam " in *Rákshasi* ædibus illa habitavit."

33. SÍTÆ mariti cor hoc rumore iniquo, et propter uxoris reprehensionem gravi, ita percussum, lacerabatur veluti ferrum, ferrea clava ictum.

34. " Negligamne rumorem istum, me reprehendentem, an uxorem vitii expertem repudiem?" Ita utram partem amplecteretur incertus, oscilli instar animo huc illuc movebatur.

35. Postquam rem perpendit, vituperationem, nulla alia ratione removendam, uxoris repudio abstergere maluit: nam viris nobilibus gloria ipsa vita gravior est, nedum re sensus oblectante.

36. Ille, cui splendor ademptus erat, convocatis fratribus, qui mutationem ejus videntes lætitiam abjiciebant, rumorem, qui de se vagaretur, narravit, posteaque sic eos allocutus est:

37. " Videte, qualis macula regum sapientium stirpi, a Sole oriundæ, bonis moribus puræ, illata est a me, veluti speculo a nubium vento.

38. " Hujusmodi reprehensionem, quæ inter cives multifariam divisa est, " velut olei gutta in aquæ undis, ego ferre haud possum, ut elephantus " palum, ad quem alligatus est.

39. " Quam ut repellam, vel fructum, cujus ortus propinquus est, non " respiciens, *Videhæ* regis filiam repudiabo, ut olim, patre jubente, terram, " oceano cinctam.

40. " Haud ignoro quidem, innocuam illam esse; attamen hominum vituperatio dura mihi videtur: utique homines terræ umbram lunæ puræ im" putant tanquam maculam.

41. "Neque labor meus, qui *Rákshasi* mortem finem habebat, inutilis "fuerit, immo ad inimicitiam exuendam inservierit: num ferox serpens "hominem, qui pede eum tetigit, sanguinis desiderio mordet?

42. "Quare hoc meum consilium a vobis, quorum animus misericordia "mollis est, haud est dissuadendum, siquidem diu a me servari vultis "vitam, opprobrii spina liberatam."

43. Ita locuto regi, qui durissimum in JANAKÆ filiam consilium ceperat, nemo ex fratribus ejus neque resistere audebat, neque assentiri.

44. Ille, LAKSHMANÆ frater major, cujus gloria in tribus mundis celebrabatur, LAKSHMANAM adspiciens, jussis obedientem, "Amate," inquit, apte loquens, atque seorsim hæc ei dedit mandata:

45. "Hæc fratris tui uxor, quæ desiderium suum mihi indicavit, in "sylvas sacras redire cupit. Quare tu, curru vectus, sub hoc prætextu "eam ad VÁLMÍKIS habitationem ducere ibique relinquere velis."

46. Ille, qui audiverat, BHRIGUIDEN patre jubente contra ipsam matrem pugnasse, veluti contra hostem, fratris majoris mandatum accepit: nam in majorum mandatis exsequendis non est hæsitandum.

47. Quare cum SÍTAM, grato nuntio delectatam, ascendere fecisset in currum, equis intrepidis junctum, SUMANTRA habenas tenente, profectus est.

48. Illa cum per regiones pulcherrimas duceretur, "Gratum mihi facit "maritus amatus!" ita cogitans gaudebat, nescia, eum ex arbore cœlesti erga ipsam in *asipatram* arborem mutatum esse.

49. Gravis dolor, quem LAKSHMANAS in via eam celabat, imminens illi indicabatur oculo dextro tremente, amati adspectu in æternum privato.

50. Vultus loto ob terrorem, ex omine infelice ortum, marcescente, "Prosperitas sit regi ejusque fratribus!" ita animo interno precabatur.

51. SUMITRÆ filius, cum fratris majoris jussu probam ejus uxorem in extrema sylva relicturus esset, prohibebatur quasi a JAHNUIS filia, in conspectu præterfluente, elatis undarum manibus.

52. Cum fratris uxorem in ripa descendere fecisset de curru, auriga

habenas arripiente, nave a *Nishádo* aliquo accepta, *Gangam* trajecit, ac si ille, fidei datæ servator, promissum persolveret.

53. Tum Sumitrides, lacrymis in fauce hærentibus, voce aliquantulum composita, regis jussum enuntiavit, nubis prodigiosæ instar, lapidum pluviam demittentis.

54. Subito Síta, plantæ similis, terrore quasi vento concussa, ornamentis quasi floribus delapsis, concidit in terram, a qua corpus suum acceperat.

55. "Quomodo maritus tuus, Ikshvákuidarum stirpe natus, probe "agens, sine caussa te destituet?" Ita dubitans quasi terra illi introitum nondum præbuit.

56. Illa mente alienata dolorem haud percipiebat, sed cum animus rediisset, intus torquebatur; atque animi illius sanitas, ad quam Sumitræ filii laboribus reversa erat, stupore erat acerbior.

57. Non vero proba illa vituperationem enuntiabat contra maritum, qui vel sine ipsius culpa eam abegerat; sed semet ipsam potius, continuo dolori indulgentem, quasi noxiam iterum iterumque reprehendebat.

58. Regis frater minor, cum bonam consolatus esset, eique viam ad Válmíkis eremum indicasset: "ignoscas mihi," rogavit supplex, "qui alii "obedio, hanc crudelitatem, a marito tuo injunctam!"

59. Síta illum erigens: "diligo te," inquit, "O pulcher, diu vive! quod "ita fratri tuo majori obediens es, ut Vishnus Indræ.

60. "Omnibus meis socris meo nomine salutem nuntia, easque filii sui "prolis, quam ego gesto, memores esse jube.

61. "Atque ad regem hunc meum perfer sermonem: Quod me, coram te "igne lustratam, propter populi rumores repudiasti, num id clara tua stirpe "dignum est?

62. "An suspicari licet, te, præclara mente præditum, non tua voluntate "ita in me consuluisse? atque hic potius haud repellendus peccatorum "meorum, in priore vita commissorum, eventus est, tonitru instar me per- "cellens?

63. "Olim Lakshmim tibi adstantem repudians, mecum in sylvam pro-

" fectus es : ab irata illa ego, locum illius adepta, in ædibus tuis habitans, " haud tolerata sum.

64. " Quæ antea tuo favore feminis piis, quorum mariti a *Rákshasis* " vexabantur, refugio eram, quomodo nunc, dum tu splendes, aliam femi- " nam tutelæ caussa adire potero?

65. " Putasne me istius vitæ miseræ, quæ post æternam separationem a " te inanis est, rationem esse habituram, nisi impediret me servanda pro- " les tua, quam gesto?

66. " At ego, fœtum enixa, oculis in solem defixis castigationes subire " contendam, ita ut in alia certe vita tu meus sis maritus, nullaque sit sepa- " ratio.

67. " Classium atque ordinum protectio regis est officium, a MANUE " præscriptum: quare ego, quamquam ita a te expulsa, tamen mulieris " solitariæ instar respicienda ero."

68. Cum RÁMÆ frater illius nuntium perferre pollicitus e conspectu ejus abiisset, SÍTA, calamitatis onere pressa, afflictæ agnæ instar gutture aperto ejulabat.

69. Pavones omittebant saltationes, arbores abjiciebant flores, capreæque gramina decerpta, atque in tota sylva, quæ in eundem ac illa dolorem dejecta erat, vehemens audiebatur ejulatus.

70. Ad illam pervenit clamorem secutus vates, ad gramen sacrum ac ligna colligenda egressus, cujus mœror, cum avem a venatore percussam conspexisset, sub distichi forma erupit.

71. SÍTA, lacrymis abstersis, desistens a lamentatione, eum salutavit, atque vates, illius graviditatis signa conspiciens, filium ei precatus, sic locutus est:

72. " Meditatione mea scio, a marito, falsas vituperationes extimescente, " te esse repudiatam. Quare ne sollicita sis; pervenies, O VIDEHÆ proles, " ad patris ædes, in regione vicina sitas.

73. " Quamquam trium mundorum hostes eradicavit, promissis stat, " atque a jactatione alienus est, tamen, quia sine caussa crudeliter te " tractavit, majori BHARATÆ fratri succenseo.

74. "Socer tuus, lunæ instar celeber, mihi est amicus; pater tuus bonos "liberat a calamitate mundana; tu primum locum tenes, inter mulieres "maritis fidas: quid igitur est, cur non tui miserear?

75. "Timore abjecto habita in hac sylva sacra, cujus feræ consuetudine "cum viris piis domitæ sunt. Heic postquam feliciter pepereris, infans "tuus cærimoniarum solemnium particeps fiet.

76. "Corpus abluens in *Tamasa* fluvio, peccata destruente, cujus ripæ "haud vacuæ sunt a vatum habitationibus, sacrificiis in ejus insularum "gremio peractis, continget tibi animi tranquillitas.

77. "Floribus fructibusque, anni tempore productis, atque granis ad "ritus sacros peragendos, e terra inarata provenientibus, allatis, exhila-"rabunt te, recenti dolore oppressam, vatum filiæ, dulce loquentes.

78. "Vasibus aquariis, robori tuo congruis, novellas eremi arbores irri-"gans, sine dubio tu jam ante filii partum eandem atque ex infante "mammas sugente percipies voluptatem."

79. Illa grate accepit favorem VÁLMÍKIS, qui animo misericordi vesperi illam secum duxit in eremum suum, ubi dorcades ad aræ latus sedebant, domitis belluis plenum.

80. Tradiditque eam, mœrore oppressam, feminis sanctis, adventu ejus delectatis, veluti novilunii dies ultimam lunæ partem, a patribus exhaustam, herbis tradit.

81. Hæ post honores oblatos sub diei finem ad habitandum dederunt illi tugurium, lucerna *ingudis* oleo repleta instructum, in quo pellis sacra pro lecto strata erat.

82. Ibi habitans illa, inauguratione lustrata, ab hospitibus rite honorata, cortice induta corpus suum victu sylvatico sustentabat, ut mariti stirpem propagaret.

83. "Num hodie rex pœnitentia affligitur?" Ita quærens INDRAJITIS occisor, cura agitatus, fratri majori mandatum peractum atque SÍTÆ lamentationem nuntiavit.

84. RÁMAS subito lacrymas effudit, lunæ instar *Pausha* mense nivem

mittentis: etenim reprehensionem extimescens Janakæ filiam e domo quidem expulerat, non vero ex animo.

85. Prudens ille, in tribuum ordinumque cura vigilans, dolore represso, regnum amplum libidine vacuus gubernabat, haud majorem fructum ex eo percipiens quam ejus fratres.

86. Lakshmis, nulla voluptate percepta habitans in pectore regis, qui reprehensionem timens unicam suam uxorem, quamquam integram, destituerat, splendebat quasi æmulis privata.

87. Síta certior facta, Rávanæ inimicum ipsa relicta nullam aliam uxorem ducere, sed ipsius effigie delectatum sacrificia facere, durum separationis a marito dolorem quodammodo perferebat.

CAPUT XV.

ASCENSIO IN CŒLUM.

1. Postquam Sítam dimiserat, terræ dominus sola terra, oceano cincta, fruebatur.

2. Protectorem illum adierunt, auxilium ejus implorantes, vates *Yamunam* accolentes, quorum sacrificia a Lavana *Rákshaso* disturbabantur.

3. Contra quem hi, Rámæ memores, haud suo ipsorum robore pugnabant: nam qui tutela deficiente imprecationum armis utuntur, castigationes suas irritas faciunt.

4. Promisit iis Rámas impedimenti remotionem: etenim Vishnuis adventus in terram virtutis protectionem finem habebat.

5. Indicabant illi Rámæ deorum inimicum occidendi rationem, dicentes: "Lavanas, quando hasta armatus, ægre vincendus est; quare hasta privatus impugnetur."

6. Raghuides eorum salutem efficiendam mandavit Satrughnæ, quasi nomen ejus hostium coercitione verum facturus.

7. Nam unusquisque Raghuidarum solus etiam, hostium vexator, adversarium destruere valet, veluti decretum speciale tollit decretum generale.

8. Precationibus faustis a fratre majore acceptis, Dasarathides, curru vectus, metu liber, processit, adspiciens sylvarum regiones, floribus tectas, odores spargentes.

9. Exercitus, qui Rámæ jussu eum sequebatur, ad negotium ejus peragendum easdem partes agebat, quas in verbo *legere* (*adhyayana*) præpositio *adhi*, ad radicis sensum efficiendum.

10. Ille, splendentium decus, via a vatibus indicata progrediens, fulgebat per eos currus duces, veluti sol per *Bálakhilyas*.

11. Proficiscenti ei propter itineris longitudinem una mansio nocturna erat in VÁLMIKIS sylva sacra, cujus hinnulei ad currus sonum capita tollebant.

12. Vates honoravit juvenem, cujus equi defatigati erant, eximiis honoribus, castigationum suarum potestate comparatis.

13. Eadem nocte fratris uxor gravida duo filios peperit perfectos, veluti terra duo exercitus.

14. SUMITRIDES, nuntio de fratris sobole lætatus, mane vatem valere jubens, curru equis juncto profectus est.

15. Cum *Madhúpaghnam* urbem pervenisset, aggrediebatur KUMBHÍNASIS filius, qui ferarum copiam tanquam tributum a sylva acceperat.

16. Fumi instar niger, adipem olens, capillis flammarum instar rutilis, *Rákshasorum* caterva cinctus, apparebat ille veluti rogi flamma incedens.

17. LAKSHMANÆ frater LAVANAM hasta privatum adortus, viam ei præclusit: nam iis, qui contra debilem pugnant, victoria propinqua est.

18. "Hodie ventris mei pastum haud valde abundantem videns creator, "timens quasi te mihi misit exoptatum!"

19. Ita SATRUGHNÆ minatus, *Rákshasus* illum occidere cupiens, altam arborem, ac si graminis culmus esset, evulsit.

20. Non vero arbor, a *Rákshaso* vibrata, SUMITRIDÆ sagittis acutis in medio discissa, corpus ejus attigit, sed florum pollen.

21. Arbore fracta *Rákshasus* magnum lapidem jecit in illum, quasi sejunctum mortis dei pugnum.

22. Quem SATRUGHNAS telo INDRÆ sacro feriens, redegit in pulverem, ipsa arena minutiorem.

23. Tum adortus eum est noctivagus, brachio dextro elato, similis monti, una arbore prædito, quem ventus prodigiosus affert.

24. Hostis, cor sagitta KRISHNÆ sacra perforatus, terræ tremorem adduxit, eremitarum tremorem removit.

25. Avium catervæ decidebant super *Rákshasum* occisum, cœlestes florum imbres super ejus adversarii caput.

26. Fortissimus ille, cum LAVANAM occidisset, tunc demum fratris sui, magno robore præditi, qui INDRAJITIS cæde splendebat, fratrem germanum se putabat.

27. Caput illius, quem eremitæ, voto potiti, laudibus efferebant fulgebat robore erectum, pudore demissum.

28. Ille virtute ornatus, divitiarum cupiditate liber, pulchro corpore præditus, in *Yamunæ* ripa *Mathuram* urbem condidit.

29. Quæ splendebat civium prosperitate, justo imperio conspicienda, ac si cœli opibus acceptis condita esset.

30. Ibi ædium tectum ascendens, *Yamunam chakravákis* plenam adspiciens, veluti terræ comam, ornatu aureo decoratam, lætabatur.

31. At DASARATHÆ amicus et JANAKÆ consiliarius, utriusque amore motus, SÍTÆ filios rite consecravit.

32. His quia humor uterinus sacro gramine et crinibus e vaccæ cauda abstersus erat, ideo ex horum appellatione vates pueris KUSÆ et LAVÆ nomina indidit.

33. Vix ex infantia egressos, *Vedas* cum *Angis* legere edoctos, suum carmen recitare docuit, primam poetarum viam.

34. Filii, RÁMÆ res gestas dulce canentes coram matre, hujus separationis dolorem aliquantulum leniebant.

35. Reliqui etiam tres viri, e RAGHUIS stirpe orti, trium ignium sacrorum instar splendentes, ex uxoribus suis, quæ conjunctione cum illis revera maritis præditæ erant, binos filios acceperunt.

36. SATRUGHNAS, fratris majoris amantissimus, filiis suis celebratis SATRUGHÁTINI atque SUBÁHUI, *Vedarum* peritissimo, *Mathuram* atque *Vidisam* urbes tradidit.

37. "Ne iterum castigationes tuæ turbentur!" Ita VÁLMÍKI precatus, abiit ex illius eremo, ubi hinnulei immoti SÍTÆ filiorum cantum auscultabant.

38. Moderatus ille ingressus est *Ayodhyam*, platearum ornamentis splendentem, propter LAVANÆ cædem a civibus maxima admiratione adspectus.

39. Conspexit ille in media aula ab aulariis cinctum RÁMAM, qui post SÍTÆ relictionem solius terræ dominus erat.

40. Frater major salutavit LAVANÆ occisorem venerabundum, veluti VISHNUEM INDRAS, KÁLANEMIS *Rákshasi* cæde lætus.

41. Ille interrogatus dixit, omnia bene se habere, non vero filiorum natorum mentionem fecit, primi vatis jussu, qui opportuno tempore eos illi tradere volebat.

42. Eo tempore illius regionis *Bráhmanus* quidam puerum suum, qui, antequam ætatem juvenilem attigerat, mortuus erat, in gremio quasi in lecto jacentem apportans, ad regis januam lamentabatur.

43. " Deploranda es, O terra, quæ, cum DASARATHAM amiseris atque " sub RÁMÆ potestatem veneris, ex una miseria in alteram majorem in- " cidisti."

44. RAGHUIDES protector, de ejus doloris caussa certior factus, erubuit: non enim mors intempestiva IKSHVÁKUIDARUM terram tetigerat.

45. Ille: " paullisper patiens esto!" ita *Bráhmanum* mœstum consolatus, KUVERÆ currus recordabatur, YAMAM devincere cupiens.

46. Telis arreptis RAGHUIS filius illum conscendit, et profectus est; cum præ illo vox incorporea audiretur:

47. " Rex! peccatum aliquod a te in cives tuos commissum est. Quod " cum indagaveris, expiare debes; tum propositum tuum attinges."

48. Post verum hunc sermonem RÁMAS, ut culpam suam in tribus commissam removeret, cœli plagas pervolavit curru, cujus vexillum præ rapiditate immotum stabat.

49. Tum RAGHUIDES conspexit hominem, castigationibus sese excruciantem capite deorsum converso, de arboris ramo dependentem, oculis fumo rubidis.

50. Interrogatus a rege de nomine ac stirpe, fumum hauriens narravit, se esse *Súdrum*, SAMBUKAM nomine, deorum cœlum appetentem.

51. Rex coercitor ei, qui, cum castigationum subeundarum jus non

haberet, populo miseriam allaturus esset, caput præcidere statuens, ensem arripuit.

52. Atque caput ejus, cujus barba scintillis adusta erat, loti instar, cujus folia frigore marcida sunt, de cervice quasi de caule abscidit.

53. *Súdrus* cum ab ipso rege punitus esset, proborum viæ particeps factus est, non vero propter castigationes suas, vel durissimas, quæ viam illi præscriptam egrediebantur.

54. RAGHUIDARUM princeps vero convenit AGASTYAM, eximie splendentem, qui in via se ei ostendit, veluti tempus autumnale cum luna conjungitur.

55. Ille, e testa natus, dedit ei ornatum, cœlicolis dignum, ab Oceano, quem biberat, pro redemptionis pretio acceptum.

56. Hunc accipiens brachio suo, quod SÍTÆ collo non occupatum erat, reversus est RÁMAS, sed ante eum *Bráhmani* filius mortuus in vitam rediit.

57. *Bráhmanus*, cum filio rursus congressus, reprehensionem antea pronuntiatam abire fecit laudibus ejus, qui ab ipso YAMA homines defenderet.

58. Illum, qui sacrificii caussa equum dimiserat, *Rákshasorum*, simiorum et hominum principes muneribus cumulabant, veluti nubes pluvia irrigant fruges.

59. Adibantque eum e diversis plagis acciti magni vates, qui non terrestres solum sed cœlestes etiam regiones reliquerant.

60. Per hos, qui prope urbem commorabantur, *Ayodhya* urbs, quattuor portis quasi oribus instructa, splendebat veluti BRAHMANIS corpus, cum modo homines creasset.

61. SÍTÆ derelictio etiam laudanda erat; nam marito, qui in conclavi *Prágvansa* appellato habitabat, neque aliam uxorem habebat, illa auro ficta uxor erat.

62. Tum incepit sacrificium, majore apparatu quam quem leges poscebant; ubi *Rákshasi*, alias cærimoniarum turbatores, custodes erant.

63. Deinde SÍTÆ filii, KUSAS atque LAVAS, a magistro jussi, *Rámáyanum* carmen a VÁLMÍKE conditum hic illic canebant.

64. Celebrabat illud RÁMÆ facta; compositum erat a VÁLMÍKE; ambo illi *Kinnarorum* instar canebant: quomodo igitur omnium auscultantium animum abripere non potuissent?

65. Dulcedinem, in amborum cantu et forma a viris gnaris observatam, RÁMAS cum fratre suo minore vidit audivitque cum voluptate.

66. Concio, illorum cantum attente audiens, lacrymas fundens, splendebat veluti sylvæ regio, vento intacta, mane rore stillans.

67. Homines, illorum et RÁMÆ similitudinem, non nisi ætate et vestibus distinctam, conspicientes, oculis fixis adstabant.

68. Non tantum amborum dexteritatem mirabantur homines, quantum illorum despicientiam munerum, quæ rex, amore motus, iis offerebat.

69. "Quis cantu vos instruxit? et cujus hoc est carmen?" Ita ab ipso rege interrogati, VÁLMÍKEM indicabant.

70. Tum vero RÁMAS cum fratre minore VÁLMÍKEM aggressus, suum ipsius corpus ei devovens, imperium illi obtulit.

71. Vates misericors, postquam ad RÁMAM advocasset ambo ejus filios, e SÍTA natos, petiit ut hanc revocaret.

72. "O pater, nurus tua ante nos igne purificata est, sed per *Rákshasi* "malignitatem hujus loci populus fidem non habet.

73. "Quare SÍTA illi de moribus suis fidem faciat; tunc illam, filiis "præditam, te jubente rursus accipiam."

74. Ita cum rex promisisset, vates JANAKÆ filiam per discipulos suos ex eremo adduci jussit, sicut negotiorum suorum perfectionem castigationibus suis adducebat.

75. Postero die RÁMAS civibus convocatis vatem arcessere jussit, ad rem quam convenerant perficiendam.

76. Vatesque accessit ad RÁMAM cum SÍTA, quam duo filii comitabantur, sicut Solem splendentem adire solebat cum hymno sacro, accentibus adornato.

77. Propter corpus placidum, veste rubra indutum, illa, oculos in pedes defigens, pura judicabatur.

78. Homines oculos avertentes ab illius adspectu, stabant capitibus demissis, veluti oryzæ plantæ, fructibus onustæ.

79. Vates in sella considens, sic eam allocutus est: "In mariti tui "conspectu, O filia, ex hominum animis remove dubium de moribus "tuis."

80. Tum Síta, puram aquam, a Válmíkis discipulo allatam, ore hauriens, sermonem verum locuta est:

81. "Ut ego neque voce, neque animo, nec facto peccatum commisi in "maritum, ita tu Tellus, alma dea, me in te recipere velis!"

82. Ita cum casta locuta esset, e terræ hiatu, subito orto, fulminis instar lumen processit, splendoris orbe cinctum.

83. In ejus medio apparebat Tellus, corpore induta, oceano cincta, sedens in solio regio, quod in serpentis capite collocatum erat.

84. Illa gremio excipiens Sítam, quæ oculos in maritum conjiciebat, dum ille: "ne facias! ne facias!" exclamabat, in inferna descendit.

85. Illius, arcu arrepto Sítam recuperare volentis, iram in Tellurem magister, fati potentiam perspiciens, mitigabat.

86. Vatibus amicisque honoratis sub sacrificii finem dimissis, Rámas amorem, quem erga Sítam foverat, in ejus filiis collocabat.

87. Atque Yuḍhájite suadente ille, progeniem adeptus, regionem *Sindhuis* nomine appellatam dedit Bharatæ, quem imperio ornavit.

88. Bharatas, postquam ibi *Gandharvos* prœlio vicerat, eos citharam capere, tela deponere jussit.

89. Ille cum filios suos, Taksham et Pushkalam, inauguratione dignos, in urbibus regiis, iisdem nominibus appellatis, inaugurasset, rediit ad Rámam.

90. Lakshmanas vero Ráma jubente filios suos Angadam et Chandraketuem *Kárápathæ* regionis dominos fecit.

91. Ita cum filios suos confirmassent hominum domini, ordine matrum suarum, qui in mariti mundum abierant, exsequias peragebant.

92. Tum YAMAS, vatis veste indutus, RAGHUIDEN adiit, dixitque: "Quicunque nos clam colloquentes videre poterit, eum dimitte!"

93. Quod cum rex polliceretur, ille postquam se ipsum ei indicasset, "Summo deo jubente," inquit, "cœlum ingredere!"

94. LAKSHMANAS, qui ante januam stabat, etsi illud sciebat, eorum colloquium interrupit, DURVÁSASIS imprecationem timens, qui RÁMAM videre flagitabat.

95. LAKSHMANAS, devotionis gnarus, ad *Sarayuis* ripam profectus, vita relicta fratris sui majoris promissum verum reddidit.

96. RAGHUIDES vero, cum hæc ejus quarta pars ante ipsum in cœlum evecta esset, vaccillans stabat, veluti virtus tribus pedibus insistens.

97. Qui cum in *Kusávati* urbe confirmasset KUSAM, hostium elephantis similium uncum, et in *Sarávati* urbe LAVAM, qui pulchris sermonibus hominum bonorum lacrymas eliciebat:

98. Sursum evectus est, firmo animo præditus, una cum fratre minore, igne præeunte, atque per domini sui amorem eos secuta est *Ayodhya* urbs, ædibus exceptis.

99. Simii et *Rákshasi*, animi gnari, sequebantur ejus vestigia, rigata civium lacrymis, *kadambæ* florum instar magnis.

100. Per illum, curru cœlesti vectum, erga cultores suos benignum, *Sarayus* fluvius scala facta est, eos, qui ipsum sequebantur, in cœlum ducens.

101. Quia hominum in illum fluvium descendentium concursus bovum gregi similis erat, ideo sacer ille ablutionum locus *Gopratarœ* nomine in mundo celebratur.

102. Dominus ille, cum deorum portiones suam quæque formam rursus induissent, civium caussa qui immortales facti erant, alterum cœlum condidit.

103. Deorum negotio, RÁVANÆ scilicet capitum detruncatione, ita finito, VISHNUS rursus ingressus est corpus suum, omnium mundorum sedem, postquam *Lankæ* dominum et Venti filium, quasi duas gloriæ columnas, in monte meridionali atque septentrionali confirmasset.

CAPUT XVI.

KUMUDVATIS NUPTIÆ.

1. Deinde reliqui septem Ràghuidarum heroes Kusam, qui et ortu priore et virtutibus suis inter omnes excellebat, summæ majestatis participem fecerunt: nam amor fraternus per totam illorum familiam propagabatur.

2. Illi, quamquam pontes construendo, quæstu, elephantis captis, aliisque operibus haud sterilibus pollebant, terræ unicuique attributæ fines, veluti oceani oras suas, haud transgrediebantur.

3. Illorum, a benefaciendo haud desistentium familia, a Vishnuis partibus oriunda, æque ac elephantorum divinorum stirps, e *Sámaveda* orta, in octo partes divisa erat.

4. Aliquando Kusas in cubiculo dormitorio, ubi lucerna immota flamma ardebat, reliquis hominibus dormientibus expergefactus feminam vidit, antea non conspectam, vestitam ut mulier, cujus maritus abest.

5. Accedens ad eum, ut vir probus felicitate regia fruentem, Indræ splendore præditum, hostium victorem, propinquis gaudentem, victoriam ei precata supplex manus junxit.

6. Tum Rámæ filius stupefactus, superiorem corporis partem e lecto erigens, illam, quæ claustris non reclusis, veluti umbra in speculi superficiem, domum ingressa erat, sic allocutus est:

7. "Introitum invenisti in domum clausam, neque tamen ea, quam "devotio tribuit, potestate prædita videris. Mœrentis speciem geris, veluti "lotorum copia onus nivosum.

8. "Quænam es, fausta? cujusve uxor? quam ob caussam me aggressa

"es? narra, cogitaque modestorum RAGHUIDARUM animum ab alienis "mulieribus aversum esse."

9. Cui illa respondit: "In qua urbe non vituperanda cives regebantur "a patre tuo, propriæ suæ habitationis cupido, illius, rex, nosce me deam "tutelarem, nunc domino desertam.

10. "Illa ego, quæ antea prosperitate mea, in qua propter imperium "faustum solemnia instituebantur, ipsam KUVERÆ urbem superabam, "nunc sub te, omni potestate prædito, e Solis stirpe oriundo, in statum "miserrimum redacta sum.

11. "Urbs, in qua domino meo absente centenarum domorum cubicula "superiora concidebant, et vestibula dilapsa jacent, imitatur diei finem, "quando sol pone montem occidentalem descendit, nubesque vento vehe-"menti dispersæ sunt.

12. "In via regia, ubi olim noctu convenire solebant puellæ lascivæ, pedes "splendentibus dulceque sonantibus annulis ornatæ, nunc vagantur canes "aurei, ululantium orum flamma carnem quærentes.

13. "Aqua illa in lacubus, quæ mulierum manibus icta altum tympani "sonum reddere solebat, nunc bovum ferocium cornibus percussa sonat.

14. "Pavones, qui oblectationis caussa alebantur, et in arboribus dormire "solebant, fractis plantis, quæ sedes eorum erant, atque tympani sono ces-"sante, segnes, caudarum parte e sylvæ flamma servata, pavonum ferorum "indolem induerunt.

15. "In scalarum mearum gradibus, ubi feminæ pulchræ pedes fucatos "deponebant, nunc tigrides, quæ modo capreas occiderunt, pedes ponunt "sanguine inquinatos.

16. "Elephanti picti, in lotorum sylvam descendentes atque a femellis "suis caules decerptos accipientes, tempora unguium, quasi uncorum icti-"bus vulnerati, certamen ineunt cum leonibus furentibus.

17. "In columnis statuarum, feminas repræsentantium, quæ colore amisso "pulvere tectæ sunt, pellium texturæ, a serpentibus abjectæ, adhærentes "pectorum vestes evadunt.

18. "In ædium tectis, quorum tegulæ per longum temporis spatium

" fuscatæ sunt, atque in quibus hic illic gramina crescunt, noctu lunæ radii, " etsi margaritarum puritate splendentes, haud refulgent.

19. " Hortorum meorum plantæ, quarum flores olim decerpebantur a " puellis jocantibus, molliter ramos removentibus, nunc vexantur a simiis " sylvestribus, velut a *Pulindis*.

20. " Fenestræ, nullum noctu lucernarum splendorem ostendentes, " atque interdiu etiam feminarum vultuum pulchritudine privatæ, fumo, " qui ex iis provenire solebat, cessante, aranearum textis obteguntur.

21. " Dolore premor, conspiciens *Sarayuis* aquas, quarum insulæ sacri- " ficiis relictæ sunt, et quæ non amplius miscentur pulvere odorifero, quo " lavantes utebantur, atque casas, in illarum ripis arundine constructas, " desertas.

22. " Quare tu, ista habitatione relicta, ad me, stirpis tuæ sedem regiam, " redire velis, sicut pater tuus, relicto corpore, quod sensibus humanum " erat, rediit in summi numinis speciem."

23. " Faciam!" Ita loquens RAGHUIDARUM optimus lætus illius preces accepit, atque urbs, favorem vultu ostendens, in corpus suum rediens, evanuit.

24. Mirum illud noctis eventum rex mane *Bráhmanis* in concione narravit; qui cum audissent, a stirpis urbe regia, ante oculos ejus apparente, illum maritum electum esse, fausta ei precabantur.

25. Rex *Kusávatím* urbem sacerdotibus tradens, die itineri idoneo cum uxoribus *Ayodhyam* versus profectus est, atque eum sequebantur milites, veluti nubium copiæ ventum.

26. In itinere exercitus ille erat quasi urbs regia ambulans, vexillorum ordines sylvarum partes agebant, magni elephanti quasi montes voluptarii sequebantur, et currus ædificiis splendidis similes erant.

27. Magnus exercitus, ab illo, qui fulgente umbellæ orbe cinctus erat, in prioris habitationis locum missus, splendebat velut oceanus, quando a luna orta litus versus ducitur.

28. Quasi illius procedentis catervarum onus ferre haud valeret Terra sub pulveris specie, iterum ascendit quasi in æthera. [illegible]

29. Ubicunque regis exercitus conspiciebatur, sive extremum agmen, ad iter se expediens, sive primum agmen, ordine instructo per viam proficiscens, ibi pleni exercitus opinionem excitabat.

30. Succi, e ducis illius elephantorum temporibus stillantis irrigatione, atque equorum ungularum ictibus, pulvis in via assumpsit luti statum, lutumque pulveris conditionem.

31. Exercitus, viam persequens per *Vindhyæ* montis regiones, multifariam divisus, *Revæ* fluvii instar, cavernas magno strepitu resonare fecit.

32. Princeps ille, cujus curruum rotæ metallis contritis rubescebant, atque cujus tubarum sonus agminis strepitu miscebatur, *Vindhyam* montem trajecit, conspiciens munera a *Pulindis* sibi oblata.

33. Cum in illius montis ablutionum loco per pontem, ex elephantis colligatis constructum, *Gangam* tergum versus fluentem trajiceret, anseres, in volatu suo per aera alas agitantes, sine ipsius labore flabellorum vice fungebantur.

34. Venerabatur *Gangæ* aquam, navibus agitatam, cujus ope ejus majores, corporibus a KAPILA irato in cineres redactis, ad immortalium habitationem pervenerant.

35. Ita KUSAS aliquot diebus itinere finito, ad *Sarayuis* ripam aggressus, conspexit centenas RAGHUIDARUM, qui sacrificia ibi peregerant, postes sacrificales, in locis sacris erectas.

36. Eum, cujus milites defatigati erant, e lucis prope regiam stirpis sui urbem adflabat ventus, qui arborum florentium ramos leniter commoverat, frigidasque *Sarayuis* undas tetigerat.

37. Tum rex ille potens, stirpis suæ vexillum, qui hostes sagittis transfoderat, civium amans, catervas suas, quarum vexilla vento movebantur, castra ponere fecit in campo urbi vicino.

38. Ipsam urbem, quomodo erat, opificum a rege conductorum catervæ subsidiis congestis renovabant, sicuti nubes aqua dimissa renovant terram, æstu exsiccatam.

39. Deinde RAGHUIDARUM heros per viros ædes struendi gnaros, postquam jejunaverant, pecoribus mactatis, urbis, eximiarum imaginum habitationis, adorationem peragendam curavit.

40. Ipse in illius urbis ædes regias ingressus, veluti vir amans in cor amatæ, aliis urbis domibus comites suos, pro sua quemque dignitate, honoravit.

41. Ipsa urbs, equis in stabulis stantibus, elephantis ad palos in atriis ordine fixos alligatis, mercibusque in foro prostantibus, apparebat veluti mulier, in cujus singulis membris ornamenta splendent.

42. Kusas, habitans in hac Raghuidarum habitatione, ad pristinum splendorem restituta, neque Indræ, cœli gubernatori, neque Kuveræ, *Alakæ* urbis domino, invidebat.

43. Tum advenit æstas, suadens quasi illius puellis amatis, se ornare veste gemmis distincta, torque in pectus candidissimum usque dependente, atque tunica quæ vel suspirio auferri poterat.

44. Cum sol fulgens e via, quæ Agastyæ stella insignis est, propius aggressus esset, regio septentrionalis flumina nivea misit ab *Himavante*, veluti lacrymarum imbrem præ gaudio frigidum.

45. Diei æstus valde auctus erat, atque nox admodum tenuis. Ambo erant sicut uxor et maritus, qui post rixam separati pœnitentia uruntur.

46. Lacuum in ædibus aqua, in diem scalarum gradus, plantis aquaticis tectos, deorsum ulterius relinquens, atque lotis tecta, quarum caules prominebant, feminarum lateribus similis evasit.

47. In *mallikarum* vespertinarum sylvis apes, in singulis calycibus, expansione sua odorem spargentibus, pedes deponens, susurrans computationem eorum facere videbatur.

48. *Sirîshæ* flos, etiamsi de feminarum aure delapsus, non subito cadebat in terram, sed foliis suis arcte adhærebat genæ, quæ recens unguium vulnus, sudore tectum, quasi notam gerebat.

49. Viri opulenti æstum evitabant in ædibus, machinis aquariis instructis, recubantes in lectis saxeis, qui frigidis aquæ fluminibus arte adductis circumfluebantur, atque *santali* succo irrigabantur.

50. Amor, vigore post veris discessum exhausto, novas vires colligebat in feminarum capillis, qui post balneum madidi dependebant, atque post unctionem *mallikis* vespertinis ornati erant.

51. Longus *arjunæ* arboris surculus, pulvere adhærente canus, splen-

debat veluti Kámadeva arcus nervus, quem Sivas iratus concidit, quamquam corpus ipsius jam combusserat.

52. Æstatis tempus, odoriferam *sahakáræ* arboris frondem, siceram vetustam, novosque *pátalæ* flores simul suppeditans, omnia vitia in hominibus amantibus detergebat.

53. Illud anni tempus cum advenisset, duæ res hominibus imprimis exoptatæ erant, ortus ille rex, atque luna, quorum pedum atque radiorum veneratio æstum repellere valebat.

54. Tum Kusas una cum mulieribus suis se delectare cupiebat in *Sarayuis* aqua, ubi anseres læti, undarum cupidi, natabant, quæ fruticum in ripa flores secum devehebat, atque in æstate voluptatem præbebat.

55. Profectus est ille, Vishnuis potentia præditus, ut pro felicitate et magnitudine sua immergeretur in fluvium illum, in cujus ripa tentoria erant statuta, atque ex quo crocodili a piscatoribus excepti erant.

56. In fluvio anseres excitabantur a mulieribus, quæ, dum per scalas in ripa constructas descendebant, armillis suis se invicem tangebant, atque in quarum pedibus tintinnabula sonabant.

57. Rex qui vidit, quantum gaudium illæ, aqua se invicem conspergentes, e lavatione perciperent, naviculam ingressus servam *Kirátam*, quæ flabellum tenens eum comitabatur, sic allocutus est:

58. " En, *Sarayuis* aqua, ubi centenæ mulieres meæ lavantur, mem-
" brorum pigmento abluto, crepusculi instar nubibus tecti, varium colorem
" ostendit.

59. " Feminarum pulchrarum collyrium, quod undis nave agitatis ablu-
" tum est, ab iisdem, splendentem gaudii colorem assumentibus, illarum
" oculis redditur.

60. " Istæ feminæ, quæ propter coxarum mammarumque pondus vix
" semet ipsas extollere valent, voluptate actæ, brachiis suis brachialibus
" cinctis magno cum labore ludunt in aqua.

61. " Isti *siríshæ* flores, de illarum auribus dependentes, dum ipsæ in
" aqua circumsiliunt, delapsi atque in fluvii undis natantes, decipiunt
" pisces, plantarum aquaticarum cupidos.

62. " Dum mulieres aquam plangunt, margaritarum linea inter guttas " margaritis similes in pectora earum salientes decidens, atque per illas " divisa, haud ab iis distinguitur.

63. " Quæ vulgo cum corpore membrisque feminarum comparantur, ut " splendens vortex cum profundi umbilici venustate, undæ cum superciliis, " *chakravákæ* cum mammis, ea omnia nunc prope adsunt.

64. " Auresque percellit jocosus undarum quasi tympanorum strepitus, " cantum comitans, cui a ripa respondent pavones, caudas expandentes, " dulce canentes.

65. " Cingula, sideribus similia, inter quæ lunæ lumen diffunditur, " in feminarum lateribus, quibus vestes arcte adhærent, filorum nodis aqua " repletis, silentium tenent.

66. " Pulchræ feminæ, manibus suis aquæ guttas jaculantes, ab amicis " audacter in faciebus adspersæ, cincinnis suis relaxis guttas emittunt, *san-* " *tali* pulvere rubras.

67. " Feminarum capitum ornatus, capillis resolutis, pigmento abluto, " margaritarumque lineis dilapsis, quamquam ludo in aqua conturbatus, " pulcher est."

68. Ille egressus e navicula, currui cœlesti simili, sertis tremulis ornatus, ludebat in aqua cum illis, velut elephantus sylvestris, de cujus humeris loti evulsæ dependent, ludit cum femellis.

69. Tum mulieres illæ in regis fulgentis societate magis etiam splendebant. Margaritæ solæ etiam oculos delectant, quanto magis vero quando cum smaragdo radiante conjunctæ sunt.

70. Feminæ oblongis oculis præditæ per jocum aqua colorata, quam siphunculis aureis ejaculabantur, eum irrigabant, atque in hoc statu ille eximie splendebat, *Himavantis* instar aqua metallica rigati.

71. Ille, una cum mulieribus in præstantissimo fluvio ludens, oblectatione sua INDRAM imitabatur, qui *Apsarasibus* cinctus in *Gangæ* cœlestis flumine ludit.

72. Subito ludentis illius ornamentum triumphale, quod ab AGASTYA acceptum RÁMAS una cum imperio KUSÆ tradiderat, ipso non sentiente decidit in aquam.

73. Postquam cum mulieribus ut libebat se lavasset, tentorium in ripa vix ingressus, vestibus nondum indutis, brachium suum armilla vacuum esse animadvertit.

74. Non propter aviditatem, sed quia ornamentum illud victoriam præstare valebat, atque olim a patre sibi datum erat, jacturam ejus haud sustinebat: nam sapiens ille florem ornamentumque ejusdem pretii æstimabat.

75. Quare celeriter omnes piscatores, in fluvio lavantes, illud investigare jussit; qui vano labore *Sarayuem* perscrutati, languescentibus vultuum lotis sic eum allocuti sunt:

76. " Operam dedimus, rex, non vero præstantissimum tuum ornamentum " in aquam immersum reperimus. Haud dubie illud per aviditatem abre- " ptum est a *Kumuda* serpente, qui sub aqua habitat."

77. Tum ille arcitenens, fortis, ad ripam aggressus, oculis ira incensis, arcum suum tendens, ad serpentis necem telum adaptavit *Garudæ* sacrum.

78. Quo vix adaptato fluvius, undis manuum instar tremore commotis ripas percutiens, velut elephantus in foveam delapsus, terribilem sonum edidit.

79. Ex illo fluvio, in quo crocodili excitati erant, subito emersit serpentum rex, virginem secum ducens, veluti ex oceano, cum a diis agitaretur, INDRÆ arbor una cum LAKSHMI.

80. Rex cum videret eum adstantem, alteraque manu ornamentum reddentem, sagittam *Garudæ* sacram retraxit: nam supplicibus haud effrenate irascuntur boni.

81. *Kumudas,* telorum gnarus, KUSAM, a RÁMA mundi tergemini domino oriundum, qui potentia sua quasi hostium uncus erat, regem inauguratum, capite suo, quamquam præ superbia elato, salutans, sic locutus est:

82. " Cognosco te VISHNUIS, qui ad negotium perficiendum homo " evasit, alterum corpus, filium appellatum; quomodo ego tuæ, mihi colendi, " voluntati adversarer?

83. " Hæc puella, pilam manibus suis in altum vibratam oculis prosequens, avide arripuit ornamentum tuum, cum celeritate delapsum, stellæ " instar e cœlo decidentis.

84. "Quare hæc armilla rursus jungatur cum brachio tuo valente, usque "ad genu dependente, nervi ictuum cicatricibus notato, quod obicis instar "terram defendit.

85. "Neque, rex, hanc sororem meam juniorem, KUMUDVATIM, repu- "diare velis, quæ in longum tempus pedum tuorum servitio meam offen- "sionem expiabit."

86. Ita locutus cum armillam reddidisset, KUMUDAS regem, qui respondit: "exoptatus tu mihi affinis es!" rite conjunxit cum puella, quæ familiæ suæ decus erat.

87. Cum rex puellæ manum, brachiali e lana fausta facto cinctam, ad matrimonium ineundum coram igne ardente arriperet, divinorum instrumentorum clangor ortus est, plagarum fines personans, atque deinde nubes miræ dejecerunt flores, odorem spargentes.

88. Ita cum serpens RÁMÆ, mundi tergemini domini, filium, e SÍTA natum, affinem adeptus esset, atque KUSAS quintum illum TAKSHAKÆ filium, ille abjecit timorem *Garudæ*, propter patris cædem sibi infesti, hic vero a civibus amatus gubernavit terram, in qua serpentes erant placati.

CAPUT XVII.

VIRTUS REGIA.

1. Kumudvatis e Kusa filium nacta est, Atithem appellatum, veluti mens ab ultima noctis hora claritatem accipit.

2. Ille, patre gaudens, incomparabili splendore præditus, patris sui matrisque gentes puras reddidit, ut sol utramque viam, septentrionalem atque meridionalem.

3. Illum pater, intelligentium eximius, primo tribus suæ scientiarum summam comprehendere, deinde puellarum regiarum manum sumere fecit.

4. Kusas nobilis, heros, temperatus, se ipsum unum per illum æque nobilem, fortem, moderatumque, multiplicem redditum putabat.

5. Qui cum Indræ societatem, stirpi suæ congruam, adeptus esset, Durjayam dæmonem in prœlio occidit, ipseque ab illo necatus est.

6. Eum sequebatur Kumudvatis, Kumudæ serpentum regis soror, ut Kaumudis sequitur Lunam, lotos exhilarantem.

7. Eorum alter Indræ solii parte fruebatur, altera Sachis amica facta, *Párijátæ* arboris portionem accepit.

8. Ejus filium ministri senes ad imperium inaugurabant, memores ultimi mandati, quod rex, cum in pugnam abiturus esset, iis dederat.

9. Illi ad ejus inaugurationem per fabros novum palatium exstrui curabant, ara elata præditum, quattuor columnis fulcitum.

10. Ibi ei, in sella solemni sedenti, consiliarii administrabant aquas, in vasibus aureis e fluviis sacris allatas.

11. E dulcibus altisque tympanorum pulsatorum sonis colligebatur, prosperitatem illius perpetuo esse duraturam.

12. Sparsis *dúrvæ* graminibus, hordei culmis, ficus cortice, lotorumque calycibus, instituit ille lustrationis cærimonias, senibus inter propinquos præscriptas.

13. Tum ad eum victorem inaugurandum adveniebant *Bráhmani*, carmina triumphalia canentes, sacerdotibus præcedentibus.

14. Aqua fausta magno flumine in caput ejus cum strepitu defluens, splendebat perinde ac *Ganga*, in SIVÆ caput præcipitata.

15. Eodem momento ille, a præconibus laude elatus, apparebat veluti magna nubes, a *chátakis* salutata.

16. Illius splendor, cum aqua carminibus faustis sacrata lavationem subiret, augebatur, velut ignis fulminei splendor, quando pluvia irrigatur.

17. Inauguratione finita patribus familias tantas dedit divitias, ut largum pro sacrificiis peractis præmium accepisse sibi viderentur.

18. Quam illi læta mente ei tribuebant benedictionem, ea illius factorum eventibus longe superabatur.

19. Imperavit ille eorum, qui in custodia erant, vincula solvi, capitis damnatos supplicio liberari, bubus juga detrahi, vaccasque haud mulgeri.

20. Psittaci etiam reliquæque aves domitæ, in caveis inclusæ, illo jubente libertatem adeptæ, volabant ubicunque iis placebat.

21. Tum ille, ut vestes indueret, consedit in sella eburnea, stragulo tecta, in media aula collocata.

22. Ei, cujus capilli odoribus uncti erant, varios ornatus suggerebant apparitores, manibus aqua ablutis.

23. Capillos ejus, margaritarum linea religatos, coronaque pertextos, ornabant rubino, splendoris radios effundente.

24. Postquam membra ejus *santalo*, moschi odorem spargente, unxissent, *rochanæ* pigmento corpus pingebant.

25. Hoc ornatu indutus, coronam gerens, pannumque sericum, cui anserum figuræ intextæ erant, maxime adspectu dignus erat recens ille dignitatis regiæ maritus.

26. Cum ornatum suum in speculo aureo contemplaretur, umbra ejus splendebat, veluti sole orto arboris cœlestis umbra resplendet in *Merue* monte.

27. Comitibus ejus, qui manibus suis insignia regia gestabant, clamore eum salutantibus, ingressus est aulam regiam, ne *Sudharma* quidem inferiorem.

28. Ibi consedit in solio paterno, stragulo tecto, cujus scabellum reges gemmis in verticibus suis attigerant.

29. Splendebatque magna illa domus solemnis Atithe ingresso, sicut Vishnuis pectus, *Srívatsæ* signo notatum, splendet per *Kaustubham* gemmam.

30. Juventute peracta, dignitatem regiam adeptus clarius etiam lucebat, veluti luna quæ, postquam lineæ instar apparuerat, ad plenitudinem pervenit.

31. Cives illum, qui sereno vultu benigneque ridens eos alloquebatur, quasi solatium putabant, corpore indutum.

32. Ille, Indræ prosperitate gaudens, elephanto vectus, *Airávatæ* robore prædito, *Ayodhyam*, cujus vexilla arbores cœlestes referebant, cœlo similem reddidit.

33. Super ejus solius capite elata erat umbella, cujus puro splendore exstinguebatur dolor urens, quo regis prioris abitus universum mundum affecerat.

34. Ignis splendor non nisi post fumum conspicitur, solisque radii post ortum; ille vero, luminum illorum naturam transgressus, una cum virtutibus suis eluxit.

35. Eum prosequebantur urbis mulieres, oculis gaudio fulgentibus, ut noctes stellam polarem sideribus, autumno nitidis.

36. *Ayodhyæ* urbis dei, in templis egregiis culti, in imaginibus suis adstantes, eum, favore dignum, favore amplectebantur.

37. Ara sacra, inaugurationis aqua irrigata, nondum exaruerat, jamque splendor ejus invictus ad litora usque penetraverat.

38. Quod istud erat negotium, quod VASISHTHÆ magistri carmina sacra et regis arcitenentis tela conjuncta perficere non potuissent?

39. Ille una cum viris justis quotidie actorum reorumque caussas dijudicandas ipse audiebat.

40. Deinde civibus suis maturos testimoniorum datorum fructus impertiebat, perspicua benevolentia pronuntiatos.

41. Cives, quorum felicitas a patre illius aucta erat, veluti fluvii a *Srávana* mense, sub hoc rege majus etiam incrementum capiebant, veluti illi *Bhádra* mense.

42. Quod loquebatur, haud falsum erat; quod dederat, haud rursus auferebat; promissum suum eo tantum violabat, quod hostes devictos in locum suum restituebat.

43. Juventus, pulchritudo et potestas vel singulatim superbiam gignere solent; sed hæ in illo conjunctæ erant, neque tamen animus ejus superbiebat.

44. Ita in dies civium amorem sibi concilians, quamquam juvenis, inconcussus erat, arboris instar, quæ altas cepit radices.

45. Quia inimici externi mutabiles sunt atque longe remoti, ille sex inimicos internos, constantes, primo debellavit.

46. In illo benevolo Fortuna, etsi natura mobilis, constans erat, veluti aur linea in lapide Lydio.

47. Mera mansuetudo mollities est, sola severitas ferarum mos; quare ill duabus illis conjunctis incepta sua peragere studebat.

48. Regi illi, qui radiorum instar exploratores emittebat, nihil in orbe terrarum ignotum erat, veluti Soli, nubibus libero.

49. Quod pro quavis diei noctisque parte regibus faciendum ordinatum est id ille peragebat sine ulla cunctatione.

50. Quotidie cum consiliariis suis habebat deliberationes; quæ, quamquam tam sæpe habitæ, non innotescebant, quia januæ clausæ tenebantur.

51. Etsi suo tempore dormiens, vigilabat ille per emissarios, inter inimicos amicosque distributos, sibique invicem ignotos.

52. Quamquam hostium coercitor, castella habebat haud expugnanda: etenim leo, elephantorum victor, non præ timore in cavernis recubat.

53. Fausta ejus incepta bene perpensa atque non frustrata oryzæ granorum instar, in culmis latentium, occulto maturescebant.

54. Vel summam prosperitatem adeptus, nunquam de via recta deflectebat: mare salsum, quando extumescit, intrat in fluviorum ora.

55. Quamquam civium alienationem subito removere valuisset, hanc nunquam ita in iis excitabat, ut eam prohibere opus fuisset.

56. Probus ille atque potens non nisi eos impugnabat, quibus par erat: etenim sylvæ ardentis flamma, etiamsi vento adjuta, aquam non adoritur.

57. Non ille Honestum subvertebat Utili sive Dulci, neque hæc duo illo, neque Utile Dulci, neque Dulce Utili, sed tria æque tractabat.

58. Amici fortuna deserti gratiam haud referunt, si felicitate gaudent adversarii evadunt; quapropter ille amicis suis modicam tantum potestatem concedebat.

59. Suarum hostiumque virium robur debilitatemque perpendens, bellum incipiebat, si semetipsum hoste fortiorem videret; sin minus, restabat.

60. Per opes aliis succurrere valemus; ideo ille divitias accumulabat: etenim nubes, aqua repleta, a *chátakis* imploratur.

61. Hostium labores destruens ille, in suis inceptis multum ponebat operæ. Suas infirmitates celabat, hostes vero a parte infirma adoriebatur.

62. Illius sceptrum tenentis exercitus, a patre auctus, armis instructus, pugnandi gnarus, nunquam ab ipsius corpore separatus erat.

63. Ut serpenti gemmam in ipsius capite, sic illi potestatem ejus triplicem nullus hostis eripiebat, sed ipse hostium potestatem arripiebat, veluti magnes ferrum.

64. Mercatores pro libitu proficiscebantur in fluviis, veluti in piscinis, in sylvis, veluti in hortis, atque in montibus, veluti in suis ædibus.

65. Cum pietatem defenderet ab interpellationibus, fortunasque a furibus, ordines æque ac tribus pro sua quisque parte sextantem ei reddebant.

66. Terra in fodinis gemmas procreans, in campis fruges, in sylvis elephantos, animum ei ostendebat protectioni consentaneum.

67. Ille, KÁRTIKEYAM robore æquans, bene intelligebat, quodnam sex illorum sive subsidiorum, sive copiarum adhibendum esset ad inceptum aliquod peragendum.

68. Ita justo ordine quadruplicem prudentiam regiam adhibens, percipiebat illius fructum, qui a nemine familiarium irritus reddebatur.

69. Erga illum, qui, quamquam dolosæ pugnandi rationis gnarus, tamen non nisi honeste pugnabat, Fortuna Victrix, virorum fortium amans, amicæ instar se gerebat.

70. Quia plurimorum ejus hostium potestas fracta erat, raro tantum ille bellum suscipiebat, elephanti instar qui odore suo reliquos elephantos dispulit.

71. Luna, quando ad plenitudinem pervenit, decrescit, eandemque legem sequitur oceanus: ATITHIS eodem modo ac ambo illi incrementum quidem capiebat, non vero ut illi decrescebat.

72. Homines probi atque egeni, si ad magnum illum petentes aggressi fuerant, veluti nubes ad oceanum, ipsi largitores evadebant.

73. Ille laudanda suscipiens, si laudabatur, erubescebat; tamen augebatur gloria ejus, quamquam laudatores odio habebat.

74. Peccatum solo adspectu tollens, tenebras veritatis sensu dispellens, ut sol ortus, homines suæ voluntati subjiciebat.

75. Lunæ radii haud penetrant in Nelumbium, neque solis radii in Nymphæam; sed virtutes illius viri præclari in hoste etiam locum inveniebant.

76. Quamquam omne ejus studium intentum erat ad hostes suos vexandos, tamen hoc etiam probum erat, quia ad sacrificium equinum peragendum victoriam appetebat.

77. Ita potentia sua, quæ viam a libris sacris præscriptam sequebatur, contendens, factus est regum rex, ut INDRAS deus est deorum.

78. Appellabant eum mundi custodum quintum, quia eadem ac illi agendi ratione utebatur, magnorum elementorum sextum, montiumque eximiorum octavum.

79. Ut dei INDRÆ jussum, sic reges illius mandatum tabulæ inscriptum tenebant capitibus suis, a quibus longe remota erat umbella regia.

80. Sacerdotes in magno sacrificio tanto præmio ornavit, ut illius atque KUVERÆ nomina paria evaderent.

81. INDRAS pluviam suppeditabat; YAMAS nimiam morborum vim cohibebat; oceani dominus navigantibus ad negotia suâ peragenda iter faustum dabat in undis; KUVERAS, reges priores respiciens, postea etiam thesaurum adaugebat: ita mundi custodes erga illum se gerebant, ac si sub ejus sceptrum refugissent.

CAPUT XVIII.

STIRPIS ENUMERATIO.

1. ILLE hostium coercitor e regis *Nishadhensis* filia genuit puerum, robore suo ne *Nishadha* serpente quidem inferiorem, quem NISHADHÆ nomine appellant.

2. KUMUDVATIS filius, sono reliquisque rebus sensualibus per longum tempus pro libidine fruitus, postquam nomen regium filio tradidisset, ascendit in cœlum, quod factis suis, Nymphææ instar candidis, meruerat.

3. KUSÆ etiam nepos, cujus oculi loti foliis similes erant, mente oceani instar profunda, solus heros, brachiis urbis obicis instar longis, moderabatur terram, oceano cinctam, atque una tantum umbella regia præditam.

4. Post ejus mortem filius NALAS appellatus, ignis potentia præditus, stirpis dignitatem accepit, qui vultu loti instar fulgente, velut elephantus calamos, sic hostium copias contrivit.

5. Ille, cujus gloria a diis in æthere habitantibus cantabatur, filium adeptus est, corpore cœli instar cæruleo, NABHASIS nomine appellatum, atque civibus æque ac *Srávanas* mensis gratum.

6. Virtutis studiosus cum potenti illi *Kosalæ* septentrionalis imperium tradidisset, corpus ultra non ingressurus, senectute suadente amicitiam contraxit cum feris.

7. Ille regibus invictus, veluti *Pundaríkas* elephantis, filium genuit PUNDARÍKAM, ad quem, patre mortuo, velut ad VISHNUEM, accessit LAKSHMIS.

8. Qui arcu haud inani instructus, postquam filio suo KSHEMADHANVANI, civibus felicitatem parare scienti, patientia prædito, terram tradiderat patienter in sylva subiit castigationes.

9. Huic etiam filius, erat, diis similis, in prœlio exercituum dux, cujus nomen DEVÁNÍKAS, in agminis vocabulum exiens atque a dei vocabulo incipiens, in tergemino cœlo etiam celebre redditum est.

10. Ut pater per hunc filium, ei placere studentem, gaudii paterni particeps fiebat, sic filius etiam filii gaudio fruebatur per hunc patrem, ipsius amantissimum.

11. Illorum prior, virtutum plenus, sacrificus, postquam quattuor tribuum onus diu sustentatum in filio suo, qui ipsi similis erat, deposuisset, abiit in cœlum sacrificorum.

12. Ejus filius modestus, blandiloquus, amicis æque ac inimicis gratus erat: nam verbum dulce, semel prolatum, vel cervos timidos capere valet.

13. Ille, AHÍNAGUS appellatus, integro brachiorum robore præditus, universam terram regebat, atque consuetudinem cum hominibus abjectis evitans, quamquam juvenis, liber erat ab omni intemperantia perniciosa.

14. Hic, virorum discriminis gnarus, viro primo similis, terram aggresso, quattuor illis agendi rationibus, nunquam ad irritum redactis, post patrem suum idoneus quattuor plagarum erat dominus.

15. Cum ille hostium victor iter in alterum mundum ingressus esset, LAKSHMIS colebat filium ejus PÁRIYÁTRAM, qui capite suo excelso ipsum PÁRYÁTRAM montem excellebat.

16. Ei filius erat SILAS, eximiæ indolis, cujus pectus æque latum erat ac lapis in quo aromata conteruntur; qui, quamquam hostes sagittis devicerat, laudatus pudore suffundebatur.

17. Ille, vir haud reprehendendi animi, cum hunc juvenem intelligentia præditum regni participem fecisset, voluptatibus fruebatur: nam regum munus, præcludens a voluptate, occupationibus est obrutum.

18. Hunc, voluptatibus animum moventibus haud satiatum, ob pulchritudinem suam inprimis ad puellarum oblectationem aptum, cepit senectus, fruendi impotens, atque præter necessitatem invida.

19. Ei filius erat, UNNÁBHÆ nomine notus, qui, umbilico nequaquam elato, VISHNUI similis, totius regum orbis quasi umbilicus erat.

20. Post eum filius ejus VAJRANÁBHAS, INDRÆ potestate præditus, in prœlio tonitru instar sonans, dominus factus est terræ, gemmarum fodinis ornatæ.

21. Qui cum abiisset in cœlum, probis actionibus meritum, terra, oceano cincta, gemmarum munera e fodinis exprompta obtulit SANKHANÆ, illius filio, hostium deletori.

22. Post ejus mortem munus patrium obtinuit rex, solis splendore fulgens, *Asvinorum* forma præditus, cujus exercituum equi usque ad maris litora penetrabant, atque quem antiquitatis gnari DHYUSHITÁSVAM appellant.

23. Hic postquam SIVAM placidum reddiderat, genuit VISVASAHAM, terræ dominum, qui ipse omnibus amicus, filii speciem gerens, universam terram protegere valebat.

24. Hic morum gnarus, cum ei filius HIRANYANÁBHAS, VISHNUIS portio, natus esset, hostibus magis etiam intolerabilis erat, veluti arboribus ignis, vento adjutus.

25. Pater, qui debitum erga majores solverat, sub vitæ finem æterna gaudia adipisci cupiens, probus, filium suum, brachiis ad genua usque dependentibus præditum, regem fecit atque ipse arborum corticem induit.

26. Huic *Kosalæ* septentrionalis domino atque stirpis solaris decori, sacrifico, filius legitimus erat KAUSALYAS, lunæ alterius instar oculos oblectans.

27. Hic gloria sua usque ad BRAHMANIS aulam celeber, conjunctionem cum deo supremo assequi studebat, postquam BRAHMISHTHAM, filium suum pium, muneri suo præfecerat.

28. Cum hic rex, stirpis suæ quasi corona, fausta progenie gaudens, sine miseria juste regeret terram, edicto regio sibi assignatum, diu lætabantur cives, oculos gaudii lacrymis suffusi.

29. Hunc PUTRAS, forma sua VISHNUI similis, qui *Garudam* comitem habet, patrem colendo dignus redditus, oculis loti foliis similibus, primum fecit in eorum numero, qui filiis gaudent.

30. Ille, INDRÆ socius futurus, cum per hunc stirpis propagatorem stirpem stabilisset, cupidine a rebus sensualibus retracta, ablutiones peragens in tribus fluminibus sacris, divinitatem adeptus est.

31. Ejus uxor *Paushæ* mensis plenilunii die peperit PUSHYAM, topazium splendore superantem, sub quo, quasi altero *Pushyæ* sidere orto, homines eximia gaudebant prosperitate.

32. Magnanimus ille postquam terræ regnum filio suo detulisset, atque semetipsum JAIMINI sapienti tradidisset, ab illo devoto devotionem adeptus, vitam mundanam reformidans, liberationis ab ea particeps factus est.

33. Post hunc filius ejus DHRUVASANDHIS, stellæ polari comparandus, regnum accepit sub quo optimo, fidem servante, pax firma erat cum hostibus, morem gerentibus.

34. Ille, hinnulei oculis præditus, virorum leo, cum filius ejus SUDARSANAS, qui lunæ instar orbe novato oculos delectabat, puer adhuc esset, in venatione circumvagans, a leone necatus est.

35. Cum ille in cœlum ascendisset, ministri, civium caussa domini jactura afflictorum, unicum illius stirpis propagatorem uno consensu rite *Ayodhyæ* regem fecerunt.

36. RAGHUIS stirps, hoc rege nondum adulto, comparanda erat cum cœlo, in quo luna modo orta splendet, sive cum sylva, a leonis pullo inhabitata, sive cum lacu, lotum nondum expansam ferente.

37. Cum diademate ornatus esset, homines prævidebant, illum patri similem futurum: jam antea enim nubes visa est, quæ, etsi non nisi elephanti pulli magnitudinem habebat, Euro acta plagas cœlestes involvit.

38. Cum elephanto vectus in via regia incederet, ab elephanti rectore sustentatus, eximiis vestibus indutus, cives eum, vix sex annos natum, ob dignitatem regiam eadem qua patrem adspexerunt veneratione.

39. Quamquam ille solium patrium explere non valebat, tamen totum illud occupavit, quia corpus ejus ingenti splendore, auri instar fulvo, quasi extensum erat.

40. Reges diadematibus suis decoris venerabantur illius pedes, colore distinctos, de sella aliquantulum dependentes, neque vero scabellum aureum attingentes.

41. Ut gemmæ illi, quamquam parvæ, smaragdi nomen ob præstantiam suam haud falso imponitur, sic magni regis nomen etiam convenit illi, quamquam puero.

42. Quæ vox provenit ex illius, flabellis cincti, ore, in cujus genas duo cincinni dependebant, ea ne in oceanorum quidem litoribus evanuit.

43. Ille vultu ridente præditus, notam gestans in fronte, quæ fascia serica, auro pertexta, splendebat, hostium feminarum vultus eadem nota spoliavit.

44. Rex, *sirîshæ* floris instar tener, oneroso ornatu defatigatus fuisset; sed dignitate sua gravissimum etiam terræ onus gestabat.

45. Antequam integrum alphabetum didicisset, cujus singulæ litteræ in humo scriptæ erant, e consuetudine cum viris sapientibus omnes morum doctrinæ fructus percepit.

46. Lakshmis, quæ nondum habitationem in pectore ejus invenerat, adultam ejus ætatem exspectans, præ pudore non nisi sub umbellæ umbra latens eum amplectebatur.

47. Brachiis ejus protegebatur terra, quamquam illa nondum *yugæ* modum adepta erant, neque ex arcus nervo cicatrices ostendebant, neque gladii ansam tetigerant.

48. Tempore progrediente non solum ejus membra incrementum capiebant, sed virtutes etiam, ab hominibus amatæ, atque ejus familiæ propriæ, initio teneræ, amplitudinem adipiscebantur.

49. Ille nullam molestiam exhibens magistris suis, simul civium, qui patris potestati subjecti fuerant, imperium, atque tres scientias, quæ Honesti, Dulcis et Utilis acquisitionis fundamenta sunt, ita accepit, quasi in vita priore penitus eas cognovisset, atque nunc in memoriam solum revocaret.

50. Cum armis instrueretur, splendebat ille superiorem corporis partem leniter protendens, cirro in capitis vertice erecto, pedi sinistro innixus, arcumque sagitta instructum ad aurem usque tendens.

51. Tum ille juventutem ingressus est, quæ est flos in amoris arbore, in continuæ voluptatis caule crescens, vinum a puellarum oculis percipiendum, ornatus uberrimus, nulla arte paratus, supra totum corpus diffusus, primaque voluptatis ætas.

52. Regiæque puellæ, forma sua superantes simulacra, a nuntiis monstrata, per ministros, puræ progeniei cupidos, adductæ, juvenis illius dignitatem regiam atque terram, quas jam pridem ille quasi uxores duxerat, posthabitas faciebant.

CAPUT XIX.

AGNIVARNÆ AMORES.

1. Postquam AGNIVARNAM filium, ignis instar splendentem, ad locum suum occupandum unxerat, RAGHUIDES, eorum qui *vedas* norunt haud ultimus, moderatus, in ultima ætate in *Naimisham* sylvam profectus est.

2. Ibi per aquas sacras oblitus lacuum voluptariorum, per sacra gramina solum tegentia, stratorum, atque per tugurium, palatii regii, sine præmii cupidine castigationes sibi inflixit.

3. Ejus filius haud defatigabatur in regno accepto tuendo, nam pater, qui brachiis suis hostes devicerat, tradiderat ei terram, qua frueretur, non quam adornaret.

4. Libidinosus ille, gentis suæ munere per aliquot annos ipse functus, deinde id ministris commisit, recentemque suam juventutem feminarum arbitrio tradidit.

5. In regis, amore incensi, una cum mulieribus degentis, ædibus, tympanorum strepitu resonantibus, unum diem festum splendidum alter magis splendidus abegit.

6. Ille ne momenti quidem tempus voluptatibus vacuum ferre valens, sed interdiu noctuque in ædibus interioribus sese oblectans, non respexit cives suos, eum videndi cupidos.

7. Atque si quando, ministrorum gravitate motus, civibus suis adspectum suum optatum præbuit, fecit hoc solummodo pedem suum per fenestram iis ostendens.

8. Civesque magna reverentia adorabant hunc, pulchro ipsius ungularum colore tinctum, qui similis erat loto, recentis solis radiis collustratæ.

9. Atque ille, amore incensus, lavabatur in lacubus, quorum Nelumbia fluctuabant concussa per feminarum mammas, juventute elatas, atque sub quorum undis domus voluptariæ latebant.

10. Ibi valde illiciebant eum feminæ vultibus suis, ad propriam suam pulchritudinem redactis, postquam oculorum collyria irrigatione abluta erant, pigmentaque rosea de labris abstersa.

11. Deinde ille cum mulieribus adiit planitiem, ad potandum adornatam, quæ odore suavi atque beneolente animum abripiebat; velut elephantus cum femellis suis confugit ad lacum, lotis florentibus tectum.

12. Feminæ avide hauriebant vinum, furtim ab illo porrectum, vehementem furorem excitans, atque ipse, *vakulæ* arboris instar cupidus, idem bibit ab illis oblatum.

13. Duæ res, commoratione in gremio dignæ, illius gremium explebant, cithara suave sonans, atque puella pulchris oculis prædita, dulce loquens.

14. Ipse beatus, tremulis coronis armillisque ornatus, tympani pulsatione animum movens, saltatrices, in gestibus suis errantes, magistris adstantibus, erubescere fecit.

15. Pulchris choreis peractis ille osculans earum vultum, in quo propter laborem notæ in fronte pictæ sudore ablutæ erant, molliterque ore suo afflans, INDRÆ atque KUVERÆ vitam imitabatur.

16. Ille novarum voluptatum cupidus, in congressibus suis furtivis ab aliis puellis advenientibus detectus, voluptate semipercepta turbabatur.

17. Ita puellas fallens, expertus est minationes digitorum, surculis similium, adspectum, superciliorum contractione obliquum, sæpiusque cingulis vinciebatur.

18. Ille in noctibus voluptati opportunis, nuntiis scientibus, pone amicam considens, ejus, destitutionem timentis, vocem audiebat queribundam.

19. Post congressum cum uxoribus cupidus factus saltatricum ægre reperiendarum, corpus earum magno labore pingere incepit, penicillo præ sudore e manibus labente.

20. Reginæ, invidentes æmulis voluptate elatis, atque ipsæ cupidine

ardentes, ira abjecta, solemnia parare fingentes, regem ad desiderium suum explendum cogebant.

21. Mane ille, vultu præ voluptate splendente, adveniens, atque supplex uxores amantes, ob perfidiam ejus querentes, placare studens, iterum eas contristavit, quia post voluptatem perceptam languidus redditus erat.

22. Eum, in somno æmularum nomina pronuntiantem, mulieres, quamquam non loquentes, objurgabant, lacrymas in lecto stragulum profundentes, atque armillis præ ira diruptis sese ab illo avertentes.

23. Puellis missis viam indicantibus ingressus ille in casas frondeas, florum stratis instructas, voluptate fruebatur cum ancillis, uxorum timore tremens.

24. Quando in nominibus earum erraverat, mulieres dicebant: "Quoniam amatæ tuæ nomen accepi, ejusdem sortem etiam cupio; animus meus, eheu! desiderio flagrat!"

25. Cum ille surrexisset, lectus ejus, *santali* pulvere flavus, coronis dispersis cingulisque diruptis tectus, gummi laccæ distinctus, ludentis jocos voluptarios revelabat.

26. Ille ipse feminarum pedibus inducebat colores, non vero animum ad hoc negotium attendit, quia oculi ejus alliciebantur illarum femoribus, laxis vestibus cingulique ligamine tectis, pulchrisque clunibus præditis.

27. Quando osculari volebat, illæ labia avertebant, quando cingulum solvere, manus prohibebant. Ita in omni cum mulieribus voluptate, quæ ejus amorem incendebat, desiderium ejus frustrabatur.

28. Per jocum a tergo adveniens ad feminas, in speculo voluptatis vestigia contemplantes, umbra sua suaviter ridente effecit, ut præ pudore oculos clauderent.

29. Cum e lecto surgeret, puellæ amatæ, teneris brachiis ejus collum amplectentes, plantasque suas pedibus ejus imponentes, rogabant, ut nocte fugiente abiens ipsas oscularetur.

30. In speculo contemplans ornatum suum regium, magis quam Indræ ornatus splendentem, non æque delectabatur, ac quando insignem suum cultum voluptarium adspiciebat.

31. Quando ille, vix stare valens, amici negotium simulans, ab illis discederet, amicæ, crinibus eum retinentes, exclamabant: "Nos, scelerate, "discessus tui prætextum penitus perspicimus!"

32. Feminæ, nimia voluptate defatigatæ, complexum simulantes, recumbebant in magnorum ejus brachiorum medio, pinguibus suis mammis unguentum detergentes.

33. Quando noctu per nuntias invitatus furtim abiret, feminæ obviam venientes eum arripiebant atque clamabant: "Quare, libidinose, tenebris "obvolutus nos fallere moliris?"

34. Cum ille feminarum, lunæ radiis similium, suavem contactum non perciperet, Nymphæis similis evasit, noctu vigilans atque interdiu dormiens.

35. Artifices, quæ tibiarum cantu labia dentibus vulneraverant, lyræque cantu femora unguium vestigiis notaverant, utrisque cruciatæ, oculis obliquis eum alliciebant.

36. Ille ludos edens, postquam membrorum, animi, vocisque actiones clam feminas docuisset, coram amicis suis æmulabatur cum histrionum magistris. fabulas agendi peritissimis.

37. *Kutajarum* atque *arjunæ* florum sertis in humeros dependentibus ornatus, membra *nípæ* florum polline tinctus, autumni tempore delectabatur ambulando in montibus arte exstructis, a pavonibus exsultantibus frequentatis.

38. Feminas, quæ post rixam in lecto ab eo se avertebant, ille placare haud properabat, sed exspectabat, donec illæ, nubium fragore perterritæ, ad eum se convertentes in sinum ejus confugerent.

39. *Kártikæ* mensis noctibus una cum feminis jocantibus commorabatur ille in ædiculis, aulæis tectis, atque delectabatur nubibus vacuo, claro lunæ lumine, voluptatis lassitudinem pellente.

40. Perque ædium fenestras adspexit *Sarayuem*, quæ ipsius feminas imitans monstrabat insulam, coxæ similem, atque anseribus veluti zona cinctam.

41. Animum ejus, qui cingulis ligandis et religandis delectabatur, abripiebant feminæ graciles, vestibus hibernis, strepentibus, agallochi odorem spargentibus, atque ab altero latere aurea cingula ostendentibus.

42. Noctes frigidæ, omnigenæ voluptati convenientes, in intimis ædibus, vento haud obnoxiis, lucernis immotis, quasi oculis suis, illius testes evadebant.

43. Conspicientes Mangiferæ flores atque ramos, Noto allatos, mulieres, rixarum oblitæ, eum, cujus separationem haud ferebant, mitigare studebant.

44. Illas gremio exceptas agitans in oscillo a servis jactato, vehementem amplexum nanciscebatur brachiis illarum, quæ timorem fingentes funem dimittebant.

45. Oblectabant eum amatæ unguento mammis illita, ornatu pulchro, margaritis distincto, vestibus æstati convenientibus, gemmarumque cingulis, ad femora usque dependentibus.

46. Eo quod ille vinum potabat, contritis Mangiferæ surculis rubrisque *pâtalæ* floribus mixtum, illius amor, vere transacto debilis, novus reddebatur.

47. Ita sensuum voluptatibus fruens, ceteraque negotia negligens, rex amore actus transegit anni tempora, suis indiciis distincta.

48. Eum, quamquam ita inebriatum, propter potentiam ejus alii reges superare haud valebant; sed veluti Dakshæ imprecatio lunam, sic illum conficiebat morbus, e voluptatibus perceptis ortus.

49. Ille, medicis haud obediens, non reliquit voluptates, etsi earum perniciem perspiciebat: nam sensus, rebus dulcibus abrepti, ægre inde avertuntur.

50. Tabe exhaustus, pallido vultu, pauca ornamenta gerens, aliis innixus incedens, submissa voce loquens, similis erat viro amanti.

51. Cum rex ita tabe consumeretur, ejus stirps similis erat cœlo, quando luna ad ultimam partem usque decrevit, seu lacui æstivo, in quo nil nisi lutum superest, seu lucernæ, parva flamma lucenti.

52. "Hisce diebus profecto rex sacrificium instituet pro filio obtinendo!" Ita ministri, morbum regis occultantes, continuo dicebant civibus, culpam aliquam commissam esse timentibus.

53. At ille, quamquam multarum feminarum socius, antequam progeniem expiantem conspiceret, ut lucerna ventum, sic hunc morbum, medicorum labores irritos facientem, haud superavit.

54. Ministri, in luco prope ædes regias congressi cum sacerdote, supremi sacrificii gnaro, cærimonias ad morbum avertendum fingentes, regem clam in rogo constructo cremaverunt.

55. Tum civibus nobilissimis convocatis, uxorem ejus legitimam, fausta graviditatis indicia ostendentem, dignitate regia ornaverunt,

56. Illius infans, primo ustus ferventibus lacrymis, luctu ob talem regis mortem ortis, deinde recreabatur frigida aqua, stirpem consecrante, e vasibus aureis effusa.

57. Regina, in utero gerens illum ad salutem civium, partus tempus exspectantium, splendebat veluti terra, in qua semen depositum est; atque in solio aureo sedens, adjuta ministris illustribus, ætate provectis, nemine ejus jussa transgrediente, mariti regnum rite gubernavit.

49, c. d. *Quibus ignis . . . obviam veniebat.* Spectat hoc ad *Vedarum* locum laudatum a MALLINA'THA: प्रोष्यागच्छतामाहिताग्नीनामग्नयः प्रत्युद्यान्ति i. e. "ignem " colentibus ex itinere redeuntibus ignes obviam veniunt."

60, b. Septem regni partes sic enumerantur ab AMARA SINHA: 1, rex; 2, primus minister; 3, amicus seu fœderatus; 4, thesaurus; 5, territorium; 6, castellum; 7, exercitus.

71, b. *Debitorum ultimum,* i. e. progenies. Etenim tria debita commemorantur in *Vedis:* studium sacrum, vatibus debitum, sacrificium diis, atque progenies majorum manibus debita. Vide SADA'NANDÆ *Vedánta Sára,* Comm. p. 11. edit. Calcutt. et cf. MAN. VI, 35. 36.

77. a. *Timensque ne officium tuum negligeres.* Lex maritum concumbere jubebat cum uxore, quando hæc ablutionem menstruam peregisset. Vide KULLU'KAM ad MAN. III, 45; et COLEBROOKE, *Digest of Hindu Law,* vol. II. p. 425, No. LXXXIV.

CAPUT II.

4, b. न्यषेधि । Operæ pretium est monere, augmentum अ, quod intercedit inter radicem et vocalem इ præpositionis नि, non tollere hujus effectum, quo sibilans dentalis mutatur in cerebralem. Cf. PA'N. VIII, 3, 63. Idem de reduplicatione dicit PA'N. VIII, 3, 64. Observatum hoc est a COLEBROOKIO, Gramm. cap. XVIII. sect. II, 4. p. 158.

5, c. Scholion in codice G. dicit, in nonnullis libris pro ... गतैः legi ... गतैः, quod foret adjectivum, pertinens ad तस्याः । Sed videtur hoc esse scribæ additamentum, quoniam deest in tribus reliquis MALLINA'THÆ exemplaribus.

7, a. Pro स न्यस्त G. legit संन्यस्त ।—D. et. F. habent राज्यलक्ष्मीं pro राजलक्ष्मीं ।

8, c. E. रक्षोपदेशात् ।

10, c. Nominat poeta पौरकन्याः "*virgines* urbis," quia antea dixerat बाललताः "*teneræ* plantæ," non vero quasi hæc cærimonia semper a virginibus peragi debuisset. Nam alio loco, IV, 27. eandem peragere dicuntur matronæ. Ita MALLINA'THAS.

26, c. *Párvatis parentis*, i. e. *Himavantis* montis.

27, a. *Ne cogitare quidem*, etc. Ad verbum: "Ne mente (seu cogitatione) quidem "illam subigere possunt belluæ."

34, d. न मूर्च्छति MALL. न प्रसरति "non adoritur."

36, a. *Devadáru* est pinus species. WILS.

38. *Tridentifer*, i. e. SIVAS.

42. *Veluti Indras*, etc. Fabula, ad quam alludit poeta, narratur in *Mahábhárato*, unde hunc versum allegat MALLINA'THAS: बाहुं सवज्रं शक्रस्य क्रुद्धस्यास्तम्भ-यत्प्रभुः i. e. "INDRÆ irati brachium, fulmine armatum, cohibuit SIVAS."

49, d. घटोघ्नीः । Vocem ऊधस् in fine compositi ejus classis, quæ *Bahuvríhi* appellatur, mutari in ऊधन् docet PA'N. V. 4, 131.

52, c. MALLINA'THAS rectius vocem अध्यासित substantive accipit, atque per व्याक्रमण interpretatur. Accuratius igitur vertendum est: "vacca, cujus oculi propter "oppressionem, quam a leone patiebatur, turbati erant."

60, d. *Vidyádhara* est nomen ordinis cujusdam semideorum, in inferiore aeris spatio habitantium, unde sæpius florum imbres demittunt in terram. Cf. *Utt. Rám. Char.* Act. VI. p. 103. (WILS. vers. angl. p. 91).

66, c. ऊधस्यं । Ita scripsi cum D., E., I., et HEMACHANDRA. G. औधस्यं । — Secundum comment. ad PA'N. V, 1, 2. dicitur etiam ऊधन्य ।

72. Ludit poeta verbis रथ *currus*, et मनोरथ ad litteram *animi currus*, i. e. desiderium, optatum.

75. *Splendor ex Atris oculo ortus*, i. e. luna. Teste MALLINA'THA, hæc fabula uberius narratur in *Harivansa*. Cf. etiam COLEBROOKIUM, de cærimoniis sacris, *As. Res.* VII, 238.

— *Sivæ semen, ab igne evomitum.* Inde nascebatur SKANDAS, qui et KA'RTIKEYAS

ANNOTATIONES.

CAPUT I.

2. *Ubi . . . ubi . . .* i. e. Ingenium meum angustius est, quam quod talem stirpem juste celebrare valeat. MALL. द्वौ कुशब्दौ महदन्तरं सूचयतः ।

7, b. सत्याय MALL. न तु पराभवाय ।

10, a. G. श्रोतुमिच्छन्ति ।

13, b. *Śála* arbor, cui sæpissime viri proceræ staturæ comparantur, est Shorea robusta.

14, b. *Omnes robore vincens.* MALL. conferre jubet MAN. VII, 5.

15, b. आगम MALL. शास्त्रपरिश्रम ।

19, c. Pro शास्त्रेष्वकुण्ठिता MALL. aliam laudat lectionem शास्त्रेषु व्यावृता ।

20, b. Vocabula आकार et इङ्गित MALL. ita interpretatur, ut prius sit externum aliquod sive doloris sive gaudii indicium, e. g. superciliorum contractio, vultus color, etc.; hoc vero animi status इङ्गितो भावः । Cf. KULLU'KAM ad MAN. VII, 63.

22. *Prolem genuisse videbantur.* Male hoc reddidi. सप्रसव hic non significat: *progenie præditus*, sed idem est quod सोदर *eodem utero natus.* Dicit poeta, eas virtutes, quæ vulgo sibi invicem infestæ sunt, seque invicem excludunt, ut cognitio et silentium, etc. in hoc rege fratrum instar conjunctas fuisse.

38. Ordo distichorum in codice D. est: 38, 42, 45, 43, 39, 40, 41, 44, 46, 47, etc.

nuncupatur, quia nutritus erat lacte sex nympharum, quæ *Krittikæ* appellantur. Narratur hæc fabula in *Rámáyano*, 1, 38.

MALLINA'THAS ad hunc locum affert versus e *Rámáyano* (ed. SCHLEG. 1, 38, 11—15, b). Memoratu dignum est, illum ante oculos habuisse recensionem commentatorum, quam SCHLEGELIUS suæ editionis fundamentum fecit. In paucis tantum verbis variat ille a SCHLEGELII textu.

CAPUT III.

1, b. मुखं MALL. प्रादुर्भाव: ।

2. Alludit poeta ad reginæ maciem, क्षामता quæ primum locum tenet inter conceptionis indicia, enumerata a VA'GBHATTA (वाग्भट्ट), medico celeberrimo. MALL.

4. Affirmat MALLINA'THAS, mulieres gravidas sæpissime pulveris comedendi desiderio capi, quod poeta in SUDAKSHINA divinatione quadam animi ortum fingit.

9. In *Sami* arbore (Mimosa Suma) ignis latere dicitur, quem olim PURU'RAVAS rex hujus arboris ramum fricans ramo *Asvatthæ* (Ficus religiosæ) elicuit. Vide WILS. prolegg. ad *Vikramorvasi*, p. 8.

10. *Cærimoniam post conceptionem et reliquas.* Cærimoniæ graviditatis tempore peragendæ sunt *Punsavana*, *Navalobhana* et *Símantonnayana*. Quarum prima peragi debet mense post conceptionem secundo vel tertio, teste PA'RASKARA; altera quarto mense, teste A'SVALA'YANA; tertia mense sexto vel octavo, teste YA'JNAVALKYA. Ita MALLINA'THAS. E YA'JNAVALKYÆ legibus (*Mitákshara*, fol. 2. v.) video, cærimoniam primam et tertiam non nisi in prima mulieris graviditate peragendas esse. Alteram (*Navalobhana*) ibi non inveni commemoratam.

13, a. *Quinque planetis.* MALL. dicit, hoc planetarum numero portendi, puerum natum diis similem futurum.

— d. *Potestas regia, quæ triplicem habet originem.* Cf. WILS. s. v. शक्ति ।

17, d. प्रबभूव नात्मनि MALL. आत्मानं नियन्तुं न शशाक ।

18. De cærimoniis natalitiis cf. MAN. II, 29.

20, c. d. *Eo vinculo, quod debitum erga Manes appellatur.* Illustratur hoc sententia, quam e *Vedis* affert MALL.: एष वा अनृणो यः पुत्री "Is certe debita solvit, qui "filium procreavit." Vide not. ad I, 71.

21. RAGHUIS nomen derivatum est a radice रघ्, quæ *eundi* significationem habet.—Leges de nomine infantibus imponendo vide MAN. II, 30. seqq.

24, d. पर्यचीयत Ita D.—E. G. et I. पर्यहीयत, attamen I. in margine ची । Nostram lectionem veram esse, apparet e MALLINA'THÆ interpretatione ववृधे ।—पर्यहीयत fluxit e reliquorum librorum lectione न व्यहीयत ।

27. *Prima qualitas* est सत्त्व veritas.

28. *Tonsura.* Cærimonia, cujus mentionem facit poeta, est चूडाकर्म de qua cf. MAN. II. 35, unde simul apparet, RAGHUEM non ultra tres annos natum fuisse, cum prima litterarum elementa disceret. Ministrorum filios vero ætate illum antecessisse, indicat poeta, dicens, comam eorum jam rursus crevisse. Lege constitutum erat, ut pueri inde a quinto anno litteras docerentur, quod enuntiatum est hoc versu:

प्राप्ते तु पंचमे वर्षे विद्यारम्भं च कारयेत् ।

qui unde desumptus sit, nescio. MALL. addit solummodo इति वचनात् ।

29. Pueri ordinis regii undecimo anno sacro filo cingebantur. Vide MAN. II. 36.

30. Quattuor scientiæ sunt आन्वीक्षिकी logica, त्रयी trium *Vedarum* scientia, वार्त्ता historia, et दण्डनीति morum doctrina.

31, d. Pro मंत्रवत् F. scripsit मंत्रवित् । attamen illum esse scribæ errorem, demonstrat MALLINA'THÆ interpretatio समंत्रकं ।

33, a. गोदान sic explicat MALLINA'THAS: गावः लोमानि केशाः दीयन्ते खण्ड्यन्ते ऽस्मिन्निति, dicitque, idem illud esse ac केशान्त, de quo vide MAN. II. 65.—De tempore, quo uxor ducenda sit, cf. MAN. III. 2.—De DAKSHÆ filiabus vide WILS. ad *Vikramorvasi*, p. 57.

34, b. Significatio vocis परिणद्ध elucet e WILS. s. v. परिणाह ।

38. Addit E., in nonnullis libris legi धनुर्धरैः ।

41. *Liquore.* MALL. मूत्रमित्यर्थः *urina.* Non recte ego poetam de sudore loqui putaveram.

50. De KAPILA et SAGARÆ filiis vide *Rám.* I, 41.

52. *Hoc statu.* Status, quem nominat poeta, is est, ubi pugnator pede dextro prolato, sinistro retracto adstat. Vide WILS. s. v. आलीढ ।

57. Pro तुमुलं F. et G. habent तुमलं । Hæc lectionis varietas tam sæpe occurrit, addita etiam (e. g. ad IV. 62.) lexicographi interpretatione तुमलं रणसंकुलं इति विश्वः, ut vix pro mero scribæ errore haberi possit. Fortasse utraque vocis forma legitima est. Attamen *Visvaprakásæ* codex, quem inspexi, habet तुमुलं ।

58. *Sicut nubes,* etc. Ut fulmen oritur e nube, ita RAGHUS etiam, utpote filius regius, ex INDRÆ reliquorumque mundi custodum partibus ortus erat. MALL.

59. *Sagitta, acie lunata instructa.* Hujusmodi sagittis hodie etiam utuntur Indi. Asservantur nonnullæ in museo Societatis Reg. Asiat. Londinensis.

60. *Telum,* etc. Fulmen scilicet.

63, a. असंग MALL. अप्रतिबन्ध. Cf. II. 42, b.

68. Scribe cum codd. D. E. et I. हर्षजडेन । Ita legisse MALL., apparet ex ejus interpretatione हर्षशिशिरेण ।—हर्षचलेन e cod. G. et textus exemplaribus irrepsit in textum meum.

CAPUT IV.

1, b. c. *Sicut ignis,* etc. In *Vedis* legitur: अग्निं वा आदित्यः सायं प्रविशति "Ignem profecto sol vesperi ingreditur."

3, c. *Indræ vexillum* ad pluviam ab hoc deo impetrandam colitur a regibus. Mall. Cf. Bohlenii librum *Das Alte Indien*, vol. ii, pag. 71.

9, c. *Sahakára* est mangiferæ species.

16, d. पर्यायोद्यमविश्रमौ । Ita in nonnullis codd. se legisse dicit Mall. In versione mea alteram, quam ille habet, secutus sum lectionem पर्यायोद्यतकार्मुकौ ।

17, b. G. विलसत्काशचामरः ।

